EX
LIBRIS
CHARLES
V. D.
ELST

PETIT SUCC.R DE SIMIER

(17)

Ex libris J. J. Chaponnière fils.

# LIBER PRECATIONVM QVAS CAROLVS CALVVS IMPERATOR Hludouici Pij Cæſaris Filius ſibi adoleſcenti pro quotidiano vſu ante años vigintiquinq; ſupra ſeptingentos in vnum colligi, & literis ſcribi aureis mandauit.


*IN HONOREM ET VSVM SERENISSIMI PRINCIPIS MAXIMILIANI SERENISSIMI Principis ac Domini, D. GVILHELMI Comitis Palatini Rheni, vtriuſque Bauariæ Ducis primogeniti, nunc primùm in lucem editus, & poſteritati communicatus.*


Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

*INGOLSTADII,*

Ex Typographia DAVIDIS SARTORII,

*Anno M. D. LXXXIII.*


Vera effigies Ser. D. Maximiliani Com.
Pal. Rheni Vtriusq; Bauariæ Ducis.
Ætatis suæ XI. An. Dñi. 1583.


INRI
Orantem passis manibus preciose redemptor
Suscipe, meq; tuo, Christe cruore laua
Da mibi quod placeat tibi cor, da verba placere
Qui placeant multos da superesse dies

# SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. MAXIMILIANO COMITI PALATINO RHENI, vtriuſque Bauariæ Duci, ſalutem, & ſempiternæ vitæ felicitatem precatur

*F. Felicianus Epiſcopus Scalenſis N. A. &c.*

MVLTÆ SVNT NOTÆ, Sereniſſime Princeps, quibus vera Chriſti Eccleſia à falſis & ſimulationis fuco adumbratis impiarum Sectarum Synagogis ipſa ſolis luce clarius & euidentius diſtinguitur ac ſecernitur, inter quas non poſtremum locum vetuſtati & perpetuæ continuationi meritò tribuendum arbitra-

arbitramur. Veriſſima enim ſunt illa ſacræ Scripturæ verba: Matth. 16. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hãc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi (hoc eſt, maledictæ Hæreticorum Sectæ) nõ præualebunt aduerſus eam. Et: Matth. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docẽtes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis: & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Et: Luc. 22. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos; quæ cùm ita ſint, nemo erit niſi graui mentis lethargo op-

preſſus, qui vbi perſpexerit Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam Romanam à Dñi noſtri aduentu mirabili quadam & diuina perpetuitate in hodiernum vſq; diem perſiſtere, eam Chriſti veram & germanã Eccleſiam, extra quam nemo ſaluari poteſt, eſſe non fateatur. Deut. 32. Meméto, inquit Scriptura, dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas; interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Hiero. 6. Et; ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigeriũ animabus veſtris. Hæc nimirum eſt, de qua initiò diximus, doctrinæ de fide antiquitas, & à Chriſto vſque ad nos continuata ſeries,

quæ

quæ nobis rectè ſentiendi & de vera Eccleſia iudicandi, ſemina inſerit, & inſerta fouet, quibus non ſolùm veritatem agnoſcere, verùm etiã in certã ſalutis viã & ſpem erigi queamus. Licet autem omnes mortales ſimus, & vita humana breui ſit circumſcripta termino, ita vt hac in re oculatis teſtibus niti minimè poſſimus, huic tamen incommodo ſapientiſſimè Deus prouidit, cum nobis quadam quaſi per manus traditione, & literarum monumentis ſacras hiſtorias præteritorum temporũ humano auxilio tranſmiſit, ex quibus intelligeremus, quid maiores noſtri ab Apoſtolorum temporibus vſque ad noſtram ætatem ſenſerint, quam fidei doctrinã amplexi & ſecuti ſint, & quam nobis ſentiendi & viuendi ratio-

rationem probatam longa & nõ interrupta ſucceſſione reliquerint. Quemadmodũ enim in literis humanis factum eſt, vt præclara quædã ingenia ſemper extiterint, quę in omni artium, ſcientiarum, & ſtudiorum genere inſignes tùm ſuas, tùm etiam aliorum præſtantium auctorum lucubrationes, ſine quarũ adminiculo in maxima adhuc ignorãtiæ caligine verſaremur poſteritati mandârunt, vt nobis faciliorem ad omnia aditum, & ad veritatem inueſtigãdam explicandamque commoditatem maiorem præſtarent: ita in Eccleſia Dei omnibus ſeculis homines ſanctiſſimos, & veritatis ſtudioſiſſimos habuimus, qui propriæ induſtriæ curas & labores literis vtiliter mãdatos nobis communicârunt,

nicârunt, quibus fulciti commodè monſtroſas deliriorum, & mendaciorum corruptelas, quas noſtri tẽporis Hæretici magnoperè obtrudunt, & inculcant, à conſtantis & im̃otæ veritatis integritate ac ſplendore ſecernere, & ad ſolidam Chriſti eiusq́ue Eccleſiæ agnitionem & cultum pertingere poſſimus. Quo in genere etiam eorum diligentia & labor nobis maximè probatur, qui veteres codices temporum iniuria & obliuione quaſi intermortuos, in quibus agitur de vera ſacræ Chriſti Eccleſiæ doctrina, & diuinarum cæremoniarum cultu, in viuis reuocare, & poſteritati tranſmittere ſtuduerunt, quorum exemplum & nos ſecuti hunc precationum libellum, in cuius originalem ſeu archety-

chetypum literis aureis ante annos ſeptingentos conſcriptum incidimus caſu, quaſi ex tenebris vindicatum publicæ vtilitatis & commodi gratia in lucem emittendum, poſteriſque cõmunicandum operæ precium duximus: cùm enim in eo, quantum ex orandi formulis, Sanctorum inuocatione, ſuffragiis defunctorum, & orationum ordine iuxta ſanctę Matris Eccleſię temporum diſtributionem accommodato colligere licet, perſpicienda ſit non obſcurè inſinuata, ſed illuſtris quædã & planè aperta imago eius, quam Eccleſia noſtra Catholica Romana de fide retinet, doctrinæ, facilè intelligemus aduerſariorum noſtrorum peruerſum ac præpoſterum iudicium & ingenium, qui ea

omnia

omnia pietatis & virtutis opera & ſigna, in quibus ſeſe ij, q̃ veræ & orthodoxæ religioni addicti ſunt, aſſiduè exercent, nuper inuenta hominũ figmenta, & ſuperſtitioſa deliria iniuſtè appellant, ac veritati imponunt; Nam cùm non ſolùm ipſi à vera Chriſti agnitione deſciuerint, ſed imperitam etiã plebem prauorum dogmatũ veneno infectam ſeduxerint, nullum ad captandam auram popularem ſibi aptius inſtrumentũ comparârunt, quàm vt ore impuro & perfricta fronte Chriſto & eius Eccleſiæ, pietati, innocentiæ, & virtuti nefarium bellum indicerent, ventrem Deum, & carnis illecebras ac voluptates ſummum bonum in ſtar Epicureorum ſibi conſtituentes. Sordent illis templa, inuiſi Di-

ui omnes, cultum, quem Eccleſia Deo & Sanctis eius tribuit, irridẽt, nullas leges curant, ita denique agunt, vt in illis malitia & ſtultitia appareãt euidentiùs, quàm vllo vnquàm tempore ab orbe cõdito, nec aliud perſonant quocunq; veniunt, quàm verbum Dei, cùm tamen nihil minus obſeruari velint, quàm quod Dei verbum iubet, ac præſcribit. Contra quorum inſanos ac temerarios conatus, & voces cum mẽdaciorum, tùm iactantiæ phaleris ſuperbientes huius aurei libelli vetuſtatem & continuatam ſucceſſionem Catholicæ Eccleſiæ Romanæ, teſtificãtis opuſculum opponimus, & ad fidelium vtilitatem atq; emolumentum quaſi ſubſidiarium, poſt aliorum multorum grauiſſimorum

& ve-

& vetuſtiſſimorum librorum aciē, collocamus, vt inde & auita maiorum noſtrorum pietas, & ea, quæ in Eccleſia Catholica Romana eſt religionis maieſtas (cui in altiſſimo veritatis monte poſitæ, hæreſes in imo terræ alueo ſerpentes, nullas vnquàm tenebras offundent, quantumuis hoc vnum agant & conentur) tanquàm inextinguibile lumen eluceat, & inter periculoſas errorū ſyrtes ad ſempiternam vitam ambulantibus ſalutis viam commonſtret. Habes hinc Sereniſſime Princeps inſtituti noſtri ſcopum, & finē, ardensq́ue noſtrum iuuandæ Eccleſiæ ſtudium & voluntatem, iam de huius libelli origine, & quo pacto in meas peruenerit manus, quàm poterit fieri breuiter accipe. Hludo

uicus primus, Caroli Magni filius, cognomento Pius fratribus Pipino Italiæ, & Boiariæ, & Carolo Galliæ citerioris Regibus è viuis ſublatis, à parente Boiarię Rex eſt creatus, deinde patri vita functo, non ſolùm in Regno Francorum, verùm etiam in Monarchia Germaniæ, Italiæ, Pannoniæ, ac Norici, atque adeò in Imperio ſucceſſit: duas autem in legitimo matrimonio habuit Vxores; alteram viuente adhuc patre Irmengardam aliâs Hildegardam Comitiſſam à Ringelhaim, & alteram Iuditham nobiliſſimi Sueuorum Comitis VVelphonis filiam, ex quarũ priore Lotharium, & Hludouicum, & ex poſteriore Carolum cognomine Caluum ſuſcepit. Eo mortuo filij paterna regna ita diuiſerunt, vt

Lotharius

Lotharius maximus natu Italię regnum cum Imperij ſceptro, & Auſtraſiam in finibus Galliarum, atque Germaniæ ampliſſimum terræ tractum, & ſecundùm aliquos Narbonenſem quoque Galliam obtineret. Hludouicus ætate & loco ſecundus primùm Boiariæ, deindè totius etiã Germaniæ regnum, & poſtremò aliquot etiã ciuitates in fratris Lotharij regno conſequeretur, Carolus Caluus verò minimus natu omnia Galliarũ regna poſſideret, qui Imperatore Lothario fratre maximo, & Hludouico ſecũdo eiuſdem Lotharij filio, & in Imperio ſucceſſore naturæ cõcedentibus, etiam Italiæ regnum cum Imperij titulo adeptus eſt. Carolo Caluo itaque imperãte, Hludouicus eius frater maior natu,

natu, regna ſua Baiariæ ac Germaniæ optimè adminiſtrauit. Is Tiguri Heluetiæ ampliſſimum & opulentiſſimum Monaſterium illuſtribus Virginibus Canoniſſarum inſtitutũ ſuſcipientibus magnificè cõſtruxit, & cùm magnis opibus, ac precioſarum rerum theſauro, tùm multis priuilegiis, immunitatibus, ac prærogatiuis honorificè donauit & ornauit, quod poſteà ſucceſſorum eius liberalitate ac munificentia etiam cumulatius tàm diuitiis, quàm ſplẽdore auctum eſt, & decoratum. Pręfuit ei Monaſterio omnium prima Regina Hildegardis eiuſdem Regis Hludouici fundatoris filia, cui morienti ſtatim ſucceſſit Bertha ſoror eius germana, quam conſecutæ poſteà ſunt multę alię Abbatiſſę longa

tempo-

temporum ſerie & ordine ſibi ſuccedentes vſque ad annum Domini 1524. quo tempore Catharina Baroniſſa à Zimbern vltima Abbatiſſa, poſtquàm Monaſterio annis vigintiquinq; præfuerat ingruẽte Zuinglij peſtifero dogmate diſcedens in ciuium ob mutatam religionem ita (vt creditur) volentium poteſtate Monaſterium reliquit, cui tamen, quamdiu vixit, annuam penſionem ciuitas ſuppeditare debuit. Tigurini vbi Monaſterium obtinuerunt, illud ſtatim ſcholam & collegium Zuinglianorum cõuertunt, ex quo quarto año pòſt, videlicet 1528. diebus 14. Septẽbris, & ſeptima Octobris, euacuato Eccleſiæ ſacrario, omnia clenodia aurea, argentea, & gemmis affabrè facta atque ornata

ingēti precio & numero, diſtracta & ablata ſunt, quorum ſanè catalogū ex pluribus locis fide dignis, & ipſa antiquitate cōparatum ſtudioſè ad huius libelli finē adiecimus, vt quāta auri, argenti, gemmarum, ſacrorum ornamentorū, & rerum aliarū precioſarū vis & copia in eo Monaſterio fuerit, intelligi, ac veterū Principū pietas & religio percipi & conſiderari poſſit. In eo numero, vt ſeries catalogi docet, erat etiam huius libelli, quē typis ſub tuo nomine mādamus, archetypus, quo Imperator Carolus Caluus eſt aſſiduè vſus, aureis literis ſcriptus in pergameno, habens in exteriori cortice ſeu tegumento à ſiniſtris Dominicæ Annunciationis, ac Viſitationis ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, & à dextris Natiui-

Natiuitatis Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti imagines in candido ebore inciſas, ac circumquaq; aureis laminis contectus, & margaritis ac precioſis gẽmis variè diſtinctus, quem vbi clenodiorũ diſtractio facta eſt, ij, quos diuitiarũ opumq́; im̃enſa cupiditas magis mouet, quàm ſyncerus vetuſtatis & virtutis amor, contenti detractis ornamẽtis, neglexerunt, nec tamẽ vt erat omni precioſo ornatu nudus ita iacuit, ꝗn ex diuina diſpoſitione quorundam diligentia & opera in Catholicorum hominum dignitate & gradu præcellẽtium peruenerit manus, à quibus nobis ad impreſſionis opus cõmunicatus ac deindè Sereniſſimo. Genitori tuo veræ virtutis & antiquitatis ſingulari fautori dono da-

tus iam in Ducali bibliotheca inter multa alia inſignia & illuſtria veterum monumenta quo debet loco repoſitus & habitus ad perpetuam clariſſimi Imperatis Caroli Calui memoriam honorificè aſſeruatur. In huius libelli archetypo ante & poſt orationes, ſunt aliqua de tempore & Sanctis Euãgelia nigro atramento ſcripta, quæ nos hîc cõmodius ad finem orationum in vnum locum ac debitum ordinem redegimus omnia: Inſuper ad orationum indicem in archetypo literis aureis ſcriptum dictorum Euangeliorum conſignationem ſubiuximus. Solebat autem Carolus Caluus diuerſos libros ſacros tradere in pergameno literis aureis ſcribendos, & precioſè ornandos, id quod magnæ religio-

nis

nis & pietatis certum erat argumentum. Vidimus nos non ſemel Ratiſponæ in ſacrario ſancti Emerani ordinis diui Benedicti librum ab eo profectum in folio ex pergameno magni valoris, aureis laminis coopertum, & imaginibus, gemmis, aliisque precioſis lapidibus artificiosè diſtinctum: in quo ſunt aureis literis ſcriptæ quatuor Euangeliſtarum hiſtoriæ, & inſigni ac miniata pictura, qualem veteres in precio habebãt, diligenter circumquaque ornatæ: qui liber ſolet viſentibus & vetuſtatis auctoritate & rei maieſtate magnam excitare admirationẽ. Supereſt nunc, vt cauſas, quæ, vt hũc libellũ tuo nomini dicaremus, nos impulerunt, adiiciamus. Atq; in primis cùm Caroli Calui proge-

nitores cùm paterni, tùm materni Bauariæ Prouinciæ nobiliſſimæ inſignem Ducatum, qui longo iam tempore inclytæ familiæ tuæ auſpiciis ac ſceptris ſapientiſſimè, & æquiſſimè regitur, tenuerint: Caroli enim magni, vnde Carolo Caluo paternum genus, ſucceſſione deficiente, Bauariæ regnũ ad illuſtrem VVelphonum ſtirpem, vnde eidem genus maternum ducebatur, deuolutum eſt, eisque ſtatim Maiores tui (è quorum numero tanquàm ex quodã Equo Troiano plurimi laudati exſtitêre Imperatores, Duces, & Heroes) in Ducatu legitimè ſucceſſerint, nemo nobis occurrebat, cui æquius huius libelli memoria conſecratur, quàm tibi Hludouici Pij Caroli Calui parentis in regnis

Bauariæ

Bauariæ hæredi ac ſucceſſori. Deinde quod Carolo Caluo Parens Hludouicus fuit, qui à ſumma pietate, quæ in ipſo elucebat, Pij cognomen adeptus eſt, cùm Sereniſſimus Genitor tuus Dominus Guilhelmus ita pietatem colat, vt nemini ſit ſecundus, & omnes, qui præclara eius in omni pietatis genere opera & monumenta vel vident, vel ab aliis prædicari audiunt, ad eam ſectandam incitet, optimoque iure pij nomen pietatis virtute præſtãs mereatur, cur non tibi pij parentis pio filio Caroli Calui Hludouici Pij filij piũ libellum iuſtè offeramus? Tertiò iſthæc ętas tua adhuc tenella me inuitauit, & induxit, cùm enim Carolo Caluo adoleſcenti præſens libellus eamob rem conſcriptus eſſet, vt ad

pietatem maximè informaretur, & regnum Dei primo loco quæreret, & nos tibi adoleſcentiæ ætatem ingreſſo hoc inſigne pietatis inſtrumentum, & ad Chriſtianæ vitæ fundamenta rectè ponenda & iacienda opportunum auxilium ſuppeditare voluimus. Peſtremò quin hoc qualicunque beneuolentiſſimi monumenti ſigno mihi penitùs inſitum erga Sereniſſimos Genitores tuos, te & vniuerſam ſanguinis ſplẽdore, pietatis ſtudiis, & omni virtutum genere inclytam domum tuam, ac ſingulare ſeruiẽdi, quod in me ſemper viuet, deſiderium poſteritati teſtatum facerem, præterire non potui. Quæ cùm ita ſint, à te maiorem in modum petimus, vt hunc libellum, quem tuo nomini conſecrauimus,

mus, non ſolùm, qua ſoles benigna & exporrecta fronte, ſuſcipere, ſed etiam ita familiarem, vt eo vtaris quotidie, habere velis: Cùm enim pietas, teſte Apoſtolo, 1. Timoth. 4. ad omnia vtilis ſit, & in Principe maximè commendetur, eo omnes neruos huius primæ ætatis tuæ intẽdere debes, vt eam aſſequaris, ac poſſideas: nam inde veluti ex vberrimo quodam fonte omne virtutũ genus in animam tuam deriuabit, inde veram te tuosque benè regendi ſapientiam hauries, de hac enim Eccleſiaſticus loquitur, Eccl. 1. cùm ait: Initium ſapientiæ timor Domini, inde Spiritus ſancti multiplex gratia copiosè tibi ex alto demittetur, inſtar aquæ perpetuò manantis ac fluentis. Vbi in pietate firmas

radices egeris, quicquid ſupextrues ædificij ſpiritualis, id totum erit ſolidum ac ſtabile, peccatorũ mole & impetu non corruet, tribulationum motibus & concuſſione non inclinabit, nec ventis tentationum cõmouebitur. Pietatis autem præcipua pars, eſt oratio, qua cum Deo loquimur, eius nobis conciliamus gratiam, beatis mentibus cohabitamus, & cùm in terris corporeo depreſſi onere ſimus, in cœlis tamẽ inſtar Angelorum verſari videmur. Oratio (inquit D. Auguſtinus) eſt oranti ſubſidium, Deo ſacrificium, dæmonibus autem flagellum. Et Caſſiodorus. Oratio ſerenat cor, abſtrahit à terrenis, mundat à vitiis, ſubleuat ad cœleſtia, reddit capaces & dignos ad accipienda bona ſpiritualia.

tualia. Quid plura? Oratio (ait D. Iohannes Chryſoſtomus) cuſtodia eſt temperantiæ, virginitatis ſigillum, iræ caſtigatio, ſuperbiæ moderatio, animæ memoris iniuriarum expiatio, inuidiæ demolitio, pacis confirmatio. Oratione non diuina modò, verùm etiam humana negotia ritè expediuntur. Hinc præclara illa Diui Gregorij in Moralibus ſententia; Qui rebus temporalibus occupantur, tunc benè exteriora diſponunt, cum ſolicitè ad interiora recurrunt: nihil igitur Principibus Chriſtianis, in quorum tu numero es, cum gubernaculorum curis premuntur, id quod fermè quotidie euenire ſolet, charius & familiarius oratione eſſe debet, quippè quæ & negotia prudenter aggrediendi ac

ſuſci-

ſuſcipiendi vias docet,& feliciter ea expediendi vires ac neruos ſuppeditat: nec tantum prodeſt in neceſſitate iam conſtitutis,ſed etiam quibus poſt aliquod tempus parata eſt magni regiminis cura , & in alios imperij onus diſpoſitum. Quare eſt quod te, dum tempus habes, in hoc orationum libello diligenter exerceas,& ea tibi ad benè viuendum ac regendum auxilia maturè compares , ſine quibus nec Deo placere, neque tibi , aliiſque prodeſſe poteris. Habes hîc paucas quidem & breues orationes,ſed quæ tot pietatis notis conſperſæ ac refertæ ſunt, tantoque deuotionis feruore, atq;, vt ita dicam, igne ardent , vt nihil neque compendioſius neq; accommodatius ad iſtam ætatem tuam in

pietate erudiendam, incitandam & inflammandam ex vetuſtate inueniri poſſe arbitremur. Deus Opt. Max. pios & ſanctos adoleſcentiæ tuæ conatus ita dirigat & fortunet, vt cùm ad maturam ætatem perueníes, quæ copioſè ſeminaueris, hæc & copioſè metas, atque incredibili de præclara & eximia iſta indole tua conceptæ omnium opinioni & expectationi feliciter reſpondeas, id quod & tibi, & Eccleſiæ Catholicæ optamus ac precamur animo.

Monachij. Calendis Maij.
Anno Salutis noſtræ
M. D. LXXXIII.

IN-

# INDEX PRECATIONVM QVAE IN HOC LIBELLO CONTINENTVR.

*QVOMODO VEL QVALI-ter beatus Dauid & cæteri ſancti Patres, per dinumeratas horas inſtituerunt Deo laudes agere.* pag.1.
*Quid orandum ſit, quando priùs de lecto veſtro ſurrexeritis.* pag.3.
*Oratio ſancti Auguſtini.* pag.4.
*Item ad inuocandam ſanctiſſimam Trinitatem.* pag.5.
*Oratio beati Hieronymi propter abſcindenda vitia, & virtutes animo inſerendas.* pag.6.
*Oratio B. Gregorij p̄ petitione lachrymarum dicenda ante confeſſionē.* pag.9.
*Confeſſio quam B. Alchuinus compoſuit Domino Carolo Imperatori.* pag.11.

*Pſalmi*

# INDEX.

*Pſalmi ſeptem pœnitentiales, & alij diſcreti & annotati p variis animi vtilitatibus.* *pag. 16.*
*Pſalmi pro tribulatione & tentatione carnis.* *pag. 32.*
*Pro gratiarum actione.* *pag. 46.*
*Pro afflictis, & quaſi à* DEO *derelictis.* *pag. 57.*
*Pro amore cœleſtis patriæ.* *pag. 67.*
*Pro tribulatis et in anguſtia poſitis.* *pa. 73.*
*Poſt acceptam quietem.* *pag. 86.*
*Oratio ante Lætaniam.* *pag. 94*
*Lætania.* *pag. 96.*
*Oratio ſancti Auguſtini de ſancta Trinitate, & pro vana & multimoda cogitatione.* *pag. 108.*
*Oratio pro viuis atque defunctis, vel pro his qui in vobis peccauerunt, vel in quibus peccatis.* *pag. 110.*
*Oratio contra inimicorum viſibilium & inuiſi-*

*inuiſibilium inſidias.* pag. 111.
*Oratio quando offertis ad miſſam pro propriis peccatis, et pro animabus propinquorum, vel amicorum.* pag. 112.
*Confitenda ſunt peccata breuiter ante altare ſecretè coram Deo, antequàm veſtram offeratis oblationem, vel communicetis.* pag. 113.
*Quid orandum ſit ad miſſam pro Sacerdote quãdo petit pro ſe orare.* pag. 115.
*Oratio ante Communionem.* pag. ibid.
*Oratio poſt Communionem.* pag. 116.
*Oratio S. Auguſtini pro agnitione Dei, & indulgentia delictorum, & ereptione diuerſarum tribulationum.* pag. ibid.
*Oratio Diui Iſidori contra inſidias Diaboli.* pag. 117.
*Vera effigies Caroli Calui adhuc adoleſcẽtis filij Hludouici Cæſaris coram crucifixi imagine proſtrati.* pag. 120.

*Ora-*

*Orationes, & Antiphonæ in Paraſceue dicendæ, quas ipſe Carolus ſolitus erat orare.* pag.ibid.
*Oratio ad adorãdã ſanctã crucẽ.* pag.122.
*Antiphonæ de ſancta cruce.* pag.123.
*Hora prima ſic orabitis.* pag.ibid.
*Hora ſecunda ſic orabitis.* pag.124.
*Hora tertia ita orabitis.* pag.ibid.
*Hora ſexta ſic orabitis.* pag.125.
*Hora nona ſic orabitis.* pag.ibid.
*Hora veſpertina ita orabitis.* pag.126.
*Hora duodecima ita orabitis.* pag.ibid.
*Ordo Completorij.* pag.127.
*Oratio S. Auguſtini in nocte.* pag.ibid.
*Oratio D. Alchuini in nocte.* pag.128.
*Oratio beati Gregorij pro omnibus beneficiis ſibi à Deo collatis, & vt ipſe ſe accuſat neglectis.* pag.ibid.

*** SEQVI-

# SEQVITVR INDEX EVANGELIORVM QVÆ HVIC LIBELLO PRECATIONVM AN- nexa fuêre.

*PRO Nat. D. N. Ieſu Chriſti. Initium ſancti Euãgelij ſecũdũ Ioan. pag. 130.*
*In Circũciſione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum Lucam. pag. 132.*
*In Epiphania Domini ſecundum Matthæum. pag. 133.*
*In Purificatione ſanctæ Mariæ ſecundum Lucam. pag. 136.*
*In Reſurrectione Domini ſecũdum Marcum. pag. 138.*
*In Aſcenſione Domini ſecundum Marcum. pag. 140.*
*In Pentecoſten ſecundũ Iohannẽ. pa. 142.*
*In Natiuitate ſancti Iohannis Baptiſtæ ſecundum Lucam. pag. 144.*

In

*In feſto ſancti Petri Apoſtoli ſecundum Matthæum. pag. 146.*
*In feſto ſancti Laurentij ſecūdum Iohannem. pag. 148.*
*In Aſſumptione ſanctæ Mariæ ſecundum Lucam. pag. 149.*
*Pro Nat. B. Mariæ Virg. Initium ſancti Euangelij ſecundum Matth. pag. 151.*
*In feſto ſancti Michaelis ſecundum Matthæum. pag. 154.*
*In feſto omnium Sanctorum ſecundum Matthæum. pag. 157.*
*In feſto ſancti Andreæ Apoſtoli ſecundum Matthæum. pag. 159.*
*In feſto Apoſtolorum ſecundum Iohannem. pag. 160.*
*In feſto plurium Martyrum ſecundum Lucam. pag. 161.*
*In feſto vnius Confeſſoris, ſeu Sacerdotis ſecundum Matthæum. pag. 163.*

*In feſto vnius Martyris ſecundum Matthæum.* *pag.165.*
*In feſto Virginū ſecundū Matth.pag.166.*
*In Dedicatione Eccleſiæ ſecundum Lucam.* *pag.169.*
*Catalogus clenodiorum precioſorū Magni Monaſterij Tigurini Canoniſſarum, inter quæ etiā fuit præſens libellus originalis aureis literis ſcriptus, nunc Monachij in Bibliotheca Ducali repoſitus.* *pag.171. &c.*

IN EPISTOLA DEDICATOria huius manualis Orationum, cuiuſdam libri mētionem fecimus, qui Ratiſponæ in Monaſterio ſancti Emerani Ordinis Diui Benedicti aſſeruatur à Carolo Caluo originem ducens, & quatuor Euangelia complectēs elegantibus figuris & picturis, nec non auro, & gemmis variè ornatus,

ornatus, quem nos aliquoties vidimus, & diligenter perluſtrauimus. In quo cùm pauca quædam de Carolo Caluo inſerta meminiſſemus, ea ad noſtram petitionem tranſmiſſa ad initium huius libri ponenda duximus. In eo libro eſt effigies Caroli Calui huic noſtræ ſimilis, niſi quod ibi ætatis añorum circiter triginta apparet, hîc verò adoleſcens. E regione verò ipſius eſt imago Agni ex Apocalypſi, quã Carolus quaſi aſpectare videtur. Vtraque pictura habet diuerſa carmina aureis literis ſcripta, ſuprà, infrà, & ad latera, quæ nos iam debito ordine ſeruato ſubiiciemus.

# CARMINA SVPRA EFFIGIEM CAROLI CALVI.

*HIC reſidet Carolus diuino munere fultus,*
*Ornat quem pietas & bonitatis amor.*
*Hludouicus iuſtus erat, quo Rex nõ iuſtior alter,*
*Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.*

# CARMINA INFRA EANDEM EFFIGIEM.

*Alma viro peperit Iudith de ſanguine claro*
*Cùm genitor regnis iura dabat propriis.*
*Hic nomen magni Caroli de nomine ſumpſit,*
*Nomen & indicium ſceptra tenenda ſua*
*Hic Dauid vario fulgeſcit ſtemmate Regis.*
*Atque Salomonica iura docentis habet.*
*Iſtius imperio codex reſplendet & auro,*
*Qui bona conſtruxit multa fauente Deo.*

# AD LATVS EFFIGIEI DEXTRVM ASSISTIT QVIDAM tenẽs gladium in vagina cum baltheo, cui talis verſus.

*Arma*

*Arma tibi faueant Chriſti ſtabilita per æuum.*

AD SINISTRVM ASTAT ALIVS HABENS CLYPEVM & haſtam cum hoc verſu.

*Muniat & Clypeus ſemper ab hoſte ſuus.*

IN EXTREMO MARGINE LATERIS DEXTRI EST quidam coronatus manu tenens cornu floribus refertum cum hoc verſu.

*Francia grata tibi Rex inclyte munera defert.*

IN EXTREMITATE SINISTRI EST ALIVS SIMILIS, & in ſimili habitu, cui talis verſus.

*Gotia te pariter cum regnis inchoat altis.*

CIRCA AGNVM E REGIONE EX APOCALYPSI DEpictum ſunt hæc carmina.

*Suſcipit Agne tuum populus venerande cruorē,*
*Et Synagoga ſuo fuſcata colore receßit.*

INFRA AGNVM SVNT IN CIRCVLO DEPICTI VIGINTI-quatuor Seniores habentes coronas aureas, &c. ſub quibus hi verſus.

*Omnia quæ præſens tellus producit alendo.*
*Et maris hæc facies limbo circumuenit amplo*
*Agne Deum ſolio temet veneratur in alto,*
*Cana caterua cliens vatū et venerabilis ordo*
*Cætus Apoſtolicus ſertis cæleſtibus inſtans.*
*Laudat, adorat, amat, deuoto pectore temet,*
*Et Princeps Carolus vultu ſpeculatur aperto*
*Orans vt tecum viuat longæuus in æuum.*

IN FINE LIBRI SVNT HÆC CARMINA.

*Bis quadringenti volitant, & ſeptuaginta*
*Anni, quo Deus eſt Virgine natus homo,*
*Ter denis annis Carolus regnabat & vno*
*Cum codex actus illius imperio.*

PRÆ-

# PRÆFATIO HVIVS LIBELLI.

LEGIMVS QVIA BEATVS Dauid Rex magnus, omnibus cũ Deo viuere volentibus, pſallendi regulam dedit, qualiter per dinumeratas horas homo quilibet pro ſuis peccatis ad Deum quotidiè preces deuota mente fundere debeat, ita dicẽs: Septies in die laudem dixi tibi. Hoc eſt prima hora, ſecunda, tertia, ſexta, nona, vndecima. Per has itaq; ſeptem horas, Dauid Rex laudem dicebat Domino Deo. Sed & ſanctus Daniel Propheta tertia & ſexta, & nona hora diei, ad deprecandum Dominum, aſcendens in ſolarium ſuum, expanſis manibus ad cœlum, deprecabatur Dominũ pro ſe & pro populo Iſrael. Prædictus itaq; Rex Dauid adhuc dixit: Et adiiciam ſuper omnẽ laudẽ tuam. Proindè rurſus ait: Media nocte ſurgebã ad confitendum tibi, id eſt, nocturna hora. Et iterum ait: Memor fui in nocte nominis tui Domine, quod eſt gallorum cantu. Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum in matutinis meditabor in te. Hi ſunt per noctes tres officij curſus, & per diem ſeptem, qui pariter coniuncti, efficiũtur decem, quos nos ſecundum decem verba legis Moyſi ſectantes cantamus.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIT LIBER ORATIO:
NVM QVEM KAROLVS
PIISSIMVS REX HLVDO:
VICI CÆSARIS FILIVS
OMONIMVS COLLIGERE
ATQ; SIBI MANVALEM
SCRIBERE IVSSIT.

HOC ORANDVM EST,
CVM DE LECTO VESTRO
SVRREXERITIS

IHV CHRISTE FILI DEI
VIVI, IN NOMINE TVO
LEVO MANVS MEAS.

*Ad te leuo oculos meos qui habitas in cœlis.*

*Domine labia mea aperies, & os meum annũciabit laudem tuam.*

*Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina, &c.*

*Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea.*

*Cuſtodi me Domine vt pupillam oculi, ſub vmbra alarum tuarum protege me.*

*Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum, vt non confundar.*

## ORATIO SANCTI AVGVSTINI.

SANCTA *Trinitas atq; indiuiſa vnitas, omnipotens ſempiterne Deus, ſpes vnica mundi, qui cœlum & terram feciſti, qui fundâſti montes immobiles, tua ſunt omnia regna terræ atq; cœlorum. In tuam ſan-*

*ſanctam & ſingularem cuſtodiam commẽdo animam meam, corpus quoque cogitationes, ac verba, atque omnes actus meos, vt me à malignis Spiritibus defendas; & in eorum poteſtatem tranſire non ſinas, neque hîc neq; in futuro, ſed gratiam tuam in omni hora adeſſe concedas, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.*

## ITEM AD INVOCANDAM SANCTISSIMAM TRINITATEM.

DEVS *Trinitas ignoſce mihi omnia peccata mea. Et in hac integritate fidei & bonorum operum perfectione cuſtodi me. Et ab omnibus inſidiis Diaboli & hominum libera me. Et ſub vmbra alarum tuarum protege me, qui es benedictus in ſecula.*

*Amen.*

# ORATIO BEATI HIERONYMI PROPTER ABSCINDENDA VITIA ET VIRTVTES animo inſerendas.

MANE *cùm ſurgo intende ad me Domine, & guberna omnes actus meos, & verba mea, & cogitationes meas, vt totum diem tranſigam in tua voluntate. Dona mihi Domine timorem tuum, cordis compunctionem, mentis humilitatem, conſcientiæ puritatem, vt terram deſpiciam, cœlum aſpiciam, peccatum odiam, iuſtitiam diligam. Abſcinde à me Domine gulæ appetitum, cõcupiſcentiam fornicationis, amorem pecuniæ, peſtem iracundiæ, triſtitiam ſeculi, mentis accidiam, vanam lætitiam, tirannidem ſuperbiæ. Planta in me Domine virtutem abſtinentiæ, cõtinentiam carnis & caſtitatẽ mentis, volũtariam paupetatem, veram pacien-*

*cien-*

*cientiam, lætitiam ſpiritualem, animi ſtabilitatem, cordis contritionem, humilitatem non fictam, fraternam charitatem. Cuſtodi os meum, ne loquar vana, ne fabuler ſecularia, ne detraham abſentibus, ne maledicam præſentibus, ne reſpondeam maledictum pro maledicto, ſed ècõtrario, benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Cuſtodi oculos meos, ne videant mulierem ad concupiſcendam eam, nec deſiderent rem proximi, nec delicias huius ſeculi, ſed dicã cum ſpiritu Dauid: Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Et iterum; Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis. Cuſtodi aures meas, ne audiãt linguam detrahẽtem, nec audiant mendacium, ſed ſint apertæ ad audiendum verbũ Domini. Cuſtodi pedes meos, ne circumeant domos ocioſi, ſed ſint ſta-*

*biles in oratione Domini. Cuſtodi manus meas, ne porrigantur ſæpiùs ad accipienda munera, ſed potiùs eleuentur in precibus Domini mundæ & puræ, ſine ira & diſceptatione, quò poßim dicere illum Propheticum ſermonē: Eleuatio manuum mearum ſacrificium matutinum. Cuſtodi Domine exitum meū, qui in tuo nomine proficiſcor, & Angelus tuus ſanctus cœleſtis comitetur mecum, qui poßit deducere me vſq ad locum deſtinatum, & dirigere pedes meos in viam pacis, & veritatis. Cuſtodi Domine cogitationes, ſermones, & opera mea, vt poßim in conſpectu tuo perficere voluntatem tuam, & ambulare in via tua toto tempore vitæ meæ, per Redemptorem animarum ſanctarum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

ORA-

# ORATIO BEATI GREGORII PRO PETITIONE LACHRYMARVM.

DA MIHI *Domine peccatori confeſsionem quæ tibi ſit placita. Parturi in corde meo inenarrabiles gemitus, qui ſuſcipiãt profundam bonitatem tuam in humilitate cordis. Ipſum mihi da petere quod te delectet audire. Ipſum animæ meæ inſere, vt iugis delectatio mea ipſe ſis. Da mihi lachrymas ex tuo affectu internas, quæ peccatorum meorum poſsint diſſoluere vincula. Audi Deus meus, audi lumen oculorum meorum, audi quod peto, & da quid petam vt audias. Si deſpicis, pereo. Si reſpexeris, viuo, ſi iuſtitiam meam reſpexeris, fœteo, ſi miſericordiam reſpexeris, fœtentem ſuſcitas de ſepulchro. Quid non mali ego corruptibilis creatura? Et quid non boni tu Creator, & creaturæ fortiſsi-*

*mus innouator? Cecidi de manu tua, vitio meo. Potens es artifex tibi iterum placitum figurare. corripe me in miſericordia tua, ne in ira tua corripias me, quod odis in me, longè fac à me, & caſtitatis ac continentiæ ſpiritum inſere in me, vitiū omne mortifica in me, & animam meam viuifica in te. Hoc da petere, vt te petendo non offendam. Hoc præſta, quod ipſe ſemper cuſtodias. Tolle de me quod nocet, ipſum præſta quod proſit. Vulnera mea pando tibi, medicinam tuam ne deneges mihi, quod ſuſcipis cura, quod curas, ſic contine, ne dimittas, ſpes mea, fortitudo mea, miſericordia mea, pietas ſempiterna, qui es, & qui eras & qui permanes in ſecula ſeculorum Amen.*

CON-

# CONFESSIO QVAM ALCHVINVS COMPOSVIT CAROLO IMPERATORI.

DEVS *inæſtimabilis miſericordiæ, Deus immenſæ pietatis, Deus conditor & reparator humani generis, qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſe ante conſpectum diuinæ clementiæ tuæ, ab omni vinculo iniquitatis abſoluis, virtutem tuam totis exoro gemitibus, vt ſecũdum multitudinem miſerationum tuarum de omnibus peccatis meis, de quibus me mea conſcientia accuſat, puram mihi coram te cõcedas agere confeſſionem, verámque ex his omnibus & condignam mihi tribuas pœnitentiam, quæcunq; peccaui in cogitationibus peſſimis, in meditationibus prauis, in conſenſu malo, in conſilio iniquo, in concupiſcentia, atq; delectatione immunda, in verbis ocioſis, in factis ma*

*malitioſis, in viſu, in auditu, in guſtu, in odoratu & tactu. Tu enim miſericors Deus ad operandum mihi animæ meæ ſalutem, membra ſingula humanis vſibus apta dediſti, ſed ego miſerrimus omnium, & peccator, te æternæ ſalutis auctorem contempſi, & æterna mihi inimico incendia præparandi, ſuadenti conſenſi. Lapſus ſum in peccatis, corrui in delictis, in membris ſingulis naturæ modum exceſsi, & impiis me laboribus obnoxium feci. Pedes mei ad currendum in malum, ſequendo libidinem ſupra modum veloces fuerunt, & in obedientia mandatorum tuorum imbecilles. Crura mea ad me ſuſtinēdum in malum fortiora fuêre. Genua mea ad fornicationē potiùs, quàm ad orationē flexi, in femoribus & in genitalibus meis ſupra modū in omnibus me immūdiciis contaminare non metui, & reū me omni hora peregi,*

*ven-*

*venter meus & viſcera omnia, crapula ſunt iugiter & ebrietate diſtenta. In renibus & lumbis, illuſione diabolica ac flāma libidinis turpiſſimo ardeo deſiderio. Latera enim mea, luxuriam malitiæ non formidant perpetrare. Dorſum meum ad iniqua roboraui opera, & collum meum in carnali erexi ſuperbia, humera mea ad portanda nequitiæ onera ſubdidi, & brachia illecebroſis iugiter amplexibus præbui. Manus meæ plenæ ſunt ſanguine, omnibusq́ſordibus ſunt pollutæ; promtæ ad omne opus prauum, pigræ ad aliquid operandum bonum. Os meum nefario pullutum eſt oſculo, & iniqua eſt concupiſcentia maculatum verbisq́ luxurioſis ac fabulis ocioſis ſuper abundanter me & mendacio coinquinaui. Gulæ ſemper & ebrietati deditus, carnalibus nūquàm deſideriis ſatiatus, ſed & lingua mea omni eſt fallacia profana-*

*ſanata. Guttur meum, inſatiabili ſemper ardet ingluuie, aures meæ, doloſis ſunt obtunſæ loquelis, promtæ ad omne malũ, ſurdæ ad omne bonum. In naribus namq; ſæpiùs iniquis delectatus ſum odoribus, in quibus etiam putredinem delictorum minimè horrui. Quid igitur dicam de oculis qui omnibus me fecerunt obnoxium? omnemq; ſenſum cordis mei auerterunt, quibus in omni conſenſi libidine, qui & me, quamuis rarò, in ſanctuario tuo Domine te adorantem, intuitu peruerterunt iniquo, omnémque motum corporis mei, ad immunda pertraxerunt deſideria. Caput verò meum omnibus ſupereminẽs membris, rarò vnquàm ad te Dominum creatorem incuruaui, ſed etiam cæteris membris in omni malitia conſentaneum feci, cor meum plenum dolo & malitia, nunquàm pura purgaui pœnitentia, ſemperq; Diaboli-*

*ca pollui illuſione, nunquã vera ablui confeſſione. Non enim hæc narrans tuam Domine in me blaſphemo creaturam, ſed meam à te piiſſime Deus expoſco medicinam, qui etiam in omnibus membris meis, me reum intelligo ſuper menſuram. Quia vt aſtra cœli atq; arenam maris, mea ita innumerabilia cognoſco delicta. Inſuper etiam ira, triſtitia, accidia, iactãtia, atq; deſidia, omnibusq́; octo principalibus viciis, obnoxium me eſſe profiteor. Sed tu Domine occultorum cognitor, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum, quàm mortem, tibi omnia cordis mei reuelo arcana. Reſpice in me, & miſerere mei, fontemq́; lachrymarum, & remiſſionem omnium peccatorum, intimam cordis cõfeſſionem, mihi tribue poſcenti. Renoua, innoua, piiſſime Pater quicquid actione, quid verbo, quid ipſa denique cogitatione diabolica*

*fraude*

*fraude viciatum eſt, & vnitati corporis Eccleſiæ, membrum tuæ redemptionis adnecte, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad Sacramentum tuæ reconciliationis admitte, per Ieſum Chriſtum vnicum & Saluatorem noſtrum, qui tecum vnâ cum Spiritu ſancto vnus eſt Dominus per immortalia ſecula ſeculorum. Amen.*

# PSALMI SEPTEM POENITENTIALES ET ALII DISCRETI ET ANNOtati pro variis animi vtilitatibus.

## PSALM. VI.

*Domine ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.*

*Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum:*

*ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.*

*Et anima mea turbata eſt valdè: ſed tu Domine vſquequo?*

*Conuertere Domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.*

*Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?*

*Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.*

*Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.*

*Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.*

*Exaudiuit Dominus deprecationem meã: Dominus orationem meam ſuſcepit.*

*Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur & erubeſcant valdè velociter.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. XXXI.

*Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.*

*Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu eius dolus.*

*Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea dum clamarem tota die.*

*Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dumconfigitur ſpina.*

*Delictum meum cognitum tibi feci: & iuſtitiam meam non abſcondi.*

*Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

*Pro hac orabit ad te omnis ſanctus : in tempore opportuno.*

*Veruntamen in diluuio aquarum multarum : ad eum non approximabunt.*

*Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me : exultatio mea, erue me à circundantibus me.*

*Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris : firmabo ſuper te oculos meos.*

*Nolite fieri ſicut equus & mulus : quibus non eſt intellectus.*

*In chamo & freno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.*

*Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circundabit.*

*Lætamini in Domino, & exultate iuſti : & gloriamini omnes recti corde.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. XXXVII.

*Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.*

*Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmâſti ſuper me manum tuam.*

*Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum.*

*Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.*

*Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.*

*Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar.*

*Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.*

*Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.*

*Domi-*

*Domine ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.*

*Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorũ meorum, & ipſum non eſt mecum.*

*Amici mei, & proximi mei, aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt.*

*Et qui iuxta me erant, de longè ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.*

*Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.*

*Ego autem tanquàm ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.*

*Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.*

*Quoniam in te Domine ſperaui: tu exaudies me Domine Deus meus.*

*Quia dixi ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.*

*Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.*

*Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.*

*Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè.*

*Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.*

*Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.*

*Intende in adiutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

*PSALM.*

## PSALM. L.

*Miſerere mei Deus: ſecundum magnã miſericordiam tuam.*

*Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meã.*

*Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.*

*Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco; & peccatum meum contra me eſt ſemper.*

*Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.*

*Ecce enim in iniquitatibus cõceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.*

*Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi.*

*Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.*

*Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.*

*Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.*

*Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectũ innoua in viſceribus meis.*

*Ne proiicias me à facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*

*Redde mihi lætitiã ſalutaris tui: & Spiritu principali confirma me.*

*Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.*

*Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.*

*Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.*

*Quoniam ſi voluiſſes, ſacrificiũ dediſſem vtiq; holocauſtis non delectaberis.*

*Sacrificium Deo Spiritus contribulatus:*

*cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

*Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hieruſalem.*

*Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ: oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. CI.

*Domine exaudi orationem meã: & clamor meus ad te veniat.*

*Non auertas faciem tuam à me: in quacunq; die tribulor, inclina ad me aurẽ tuam.*

*In quacunq; die inuocauero te: velociter exaudi me.*

*Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.*

*Percuſſus ſum vt fœnū, & aruit cor meū, quia oblitus ſum comedere panem meum.*

*A voce gemitus mei: adhæſit os meū carni meæ.*

*Similis factus ſum pelicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.*

*Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.*

*Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduerſum me iurabant.*

*Quia cinerem tanquàm panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.*

*A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me.*

*Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui.*

*Tu autem Domine in æternũ permanes: & memoriale tuum in generatione & generationem.*

*Tu exurgens Domine miſereberis Sion: quia tẽpus miſerendi eius, quia venit tempus.*

*Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur.*

*Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes Reges terræ gloriam tuam.*

*Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua.*

*Reſpexit in orationem humilium: & non ſpreuit preces eorum.*

*Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominum.*

*Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cœlo in terram aſpexit.*

*Vt audiret gemitus compeditorum: vt ſolueret filios interemptorum.*

*Vt annuncient in Sion nomen Domini: et laudem eius in Hieruſalem.*

*In conueniendo populos in vnum & reges vt ſeruiant Domino.*

*Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.*

*Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generatione, & generationẽ anni tui.*

*Initio tu Domine terrã fundâſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli.*

*Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.*

*Et ſicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.*

*Filij ſeruorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.*

*Gloria Patri & Filio, &c.* *PSALM.*

## PSALM. CXIX.

*De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.*

*Fiãt aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.*

*Si iniquitates obſeruaueris Domine: Domine quis ſuſtinebit?*

*Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.*

*Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.*

*A cuſtodia matutina vſq; ad noctẽ: ſperet Iſrael in Domino.*

*Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.*

*Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

*PSALM.*

## PSALM. CXLI.

*Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua iuſtitia.*

*Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

*Quia perſecutus eſt inimicus animã meã: humiliauit in terra vitam meam.*

*Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi: & anxiatus eſt ſuper me Spiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.*

*Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: et in factis manuũ tuarum meditabar.*

*Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.*

*Velociter exaudi me Domine: defecit Spiritus meus.*

*Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.*

*Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam: quia in te ſperaui.*

*Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.*

*Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

*Spiritus tuus bonus deducet me in terrã rectam: propter nomẽ tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.*

*Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.*

*Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

# PSALMI PRO TRIBVLATIONE ET TENTATIONE CARNIS.

## PSALM. XVI.

*EXAVDI Domine iuſtitiam meam: intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam non in labiis doloſis.*

*De vultu tuo iudiciũ meum prodeat: oculi tui videant æquitates.*

*Probâſti cor meum, & viſitâſti nocte: igne me examinâſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.*

*Vt non loquatur os meum opera hominũ: propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras.*

*Perfice greſſus meos in ſemitis tuis: vt nõ moueantur veſtigia mea.*

*Ego clamaui, quoniã exaudiſti me Deus:*

*inclina*

*inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.*

*Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te.*

*A reſiſtentibus dexteræ tuæ, cuſtodi me vt pupillam oculi.*

*Sub vmbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum qui me afflixerunt.*

*Inimici mei animam meam circundederunt, adipe ſuum concluſerunt, os eorũ locutum eſt ſuperbiam.*

*Proiicientes me, nũc circundederunt me: oculos ſuos ſtatuerũt declinare in terram.*

*Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitans in abditis.*

*Exurge Domine, præueni eum, & ſupplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.*

*Domine, à paucis de terra diuide eos in vita eorum: & de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.*

*Saturati ſunt filij: & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.*

*Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. XXIIII.

*Ad te Domine leuaui animam meã: Deus meus in te confido, non erubeſcam.*

*Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi qui ſuſtinent te, non confundentur.*

*Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè.*

*Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.*

*Dirige*

*Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus ſaluator meus: & te ſuſtinui tota die.*

*Reminiſcere miſerationum tuarum Domine: & miſericordiarũ tuarum quæ à ſeculo ſunt.*

*Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris.*

*Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuã Domine.*

*Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

*Diriget manſuetos in iudicio: docebit mites vias ſuas.*

*Vniuerſæ viæ Domini miſericordia et veritas, requirentibus teſtamentũ eius, & teſtimonia eius.*

*Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.*

*Quis eſt homo qui timet Dominum? legē ſtatuit ei in via quam elegit.*

*Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen eius hæreditabit terram.*

*Firmamentum eſt Dominus timentibus eum: & teſtamentum ipſius vt manifeſtetur illis.*

*Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.*

*Reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego.*

*Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me.*

*Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.*

*Reſpice inimicos meos, quoniā multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.*

*Cuſtodi animam meam, & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperaui in te.*

*Innocentes & recti adhæſerūt mihi: quia ſuſtinui te.*

*Libera Deus Iſraël ex omnibus tribulationibus ſuis.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. XXX.

*In te Domine ſperaui non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me.*

*Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me.*

*Eſto mihi in Deum protectorem & in domum refugij, vt ſaluum me facias.*

*Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.*

*Educes me de laqueo hoc quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.*

*In manus tuas commendo Spiritum meū, redemiſti me Domine Deus veritatis.*

*Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuè.*

*Ego autem in Domino ſperaui: exultabo & lætabor in miſericordia tua.*

*Quoniam reſpexiſti humilitatem meam: ſaluâſti de neceſſitatibus animam meã.*

*Nec cõcluſiſti me in manibus inimici: ſtatuiſti in loco ſpacioſo pedes meos.*

*Miſerere mei Domine, quoniam tribulor: cõturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea & venter meus.*

*Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.*

*Infirmata eſt in paupertate virtus mea: & oſſa mea conturbata ſunt.*

*Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valdè, & timor notis meis.*

*Qui videbant me foràs fugerunt à me: obliuioni datus ſum tãquàm mortuus à corde.*

*Factus ſum tanquàm vas perditum, quoniam*

*niam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.*

*In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me: accipere animam meam conſiliati ſunt.*

*Ego autem in te ſperaui Domine: dixi Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.*

*Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me.*

*Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua.*

*Domine non confundar, quoniam inuocaui te.*

*Erubeſcant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia doloſa.*

*Quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem, in ſuperbia & in abuſione.*

*Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.*

*Perfeciſti eis, qui ſperant in te: in conſpectu filiorum hominum.*

*Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.*

*Proteges eos in tabernaculo tuo: à contradictione linguarum.*

*Benedictus Dominus: quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita.*

*Ego autem dixi in excuſſu mentis meæ: proiectus ſum à facie oculorum tuorũ.*

*Ideò exaudiſti vocem orationis meæ: dum clamarem ad te.*

*Diligite Dominũ omnes ſancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus: & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.*

*Viriliter agite, & confortetur cor veſtrũ: omnes qui ſperatis in Domino.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

*PSALM.*

# PSALM. LIII.

*Deus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua iudica me.*

*Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.*

*Quoniam alieni inſurrexerũt aduerſum me: & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.*

*Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus ſuceptor eſt animæ meæ.*

*Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.*

*Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine quoniam bonum eſt.*

*Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos diſpexit oculus meus.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. LXVI.

*Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.*

*Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.*

*Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.*

*Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.*

*Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſum.*

*Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

*PSALM.*

# PSALM. LXIX.

*Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.*

*Confundantur, & reuereantur: qui quærunt animam meam.*

*Auertantur retrorſum, & erubeſcant qui volunt mihi mala.*

*Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi euge euge.*

*Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.*

*Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adiuua me.*

*Adiutor meus, liberator meus es tu: Domine ne moreris.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

*PSALM.*

## PSALM. LXXXV.

*Inclina Domine aurem tuam: & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego.*

*Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: ſaluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te.*

*Miſerere mei Domine, quoniã ad te clamaui tota die: lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.*

*Quoniam tu Domine ſuauis & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus inuocãtibus te.*

*Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.*

*In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudiſti me.*

*Non eſt ſimilis tui in Diis Domine: & nõ eſt ſecundum opera tua.*

*Omnes*

*Omnes gentes quaſcunq; feciſti venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.*

*Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.*

*Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meũ, vt timeat nomen tuum.*

*Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.*

*Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.*

*Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me: & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.*

*Et tu Domine Deus miſereator, & miſericors: patiens & multæ miſericordiæ, & verax.* *Re-*

*Reſpice in me & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo: & ſaluum fac filium ancillæ tuæ.*

*Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundãtur, quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PRO GRATIARVM ACTIONE.

### PSALM. CIII.

*Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.*

*Confeſſionem & decorem induiſti: amictus lumine ſicut veſtimento.*

*Extendens cœlum ſicut pellem: qui tegis aquis ſuperiora eius.*

*Qui ponis nubē aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum.*

*Qui facis Angelos tuos Spiritus: & miniſtros tuos ignem vrentem.*

*Qui fundâſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi.*

*Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius: ſuper montes ſtabunt aquæ.*

*Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.*

*Aſcendunt montes, & deſcendunt campi: in locum quem fundâſti eis.*

*Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: neq; conuertentur operire terram.*

*Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertranſibūt aquæ.*

*Potabunt omnes beſtiæ agri: expectabunt onagri in ſiti ſua.*

*Super*

*Super ea volucres cœli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces.*

*Rigans mõtes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.*

*Producens fœnum iumentis: & herbam ſeruituti hominum.*

*Vt educas panem de terra: & vinum lætificet cor hominis.*

*Vt exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet.*

*Saturabuntur ligna campi, & cedri libani, quas plantauit: illic paſſeres nidificabunt.*

*Herodij domus dux eſt eorũ: montes excelſi ceruis, petra refugium herinaciis.*

*Fecit lunam in tempora: ſol cognouit occaſum ſuum.*

*Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ.*

*Catuli leonum rugientes vt rapiant: & quærant à Deo eſcam ſibi.* Or-

*Ortus eſt ſol, & congregati ſunt: & in cubilibus ſuis collocabuntur.*

*Exibit homo ad opus ſuum: & ad operationem ſuam vſq; veſperam.*

*Quàm magnificata ſunt opera tua Domine: omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua.*

*Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus.*

*Animalia puſilla cum magnis: illic naues pertranſibunt.*

*Draco iſte quem formâſti ad illudendum ei: omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore.*

*Dante te illis, colligent: aperiente te manũ tuã, omnia implebuntur bonitate.*

*Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes Spiritum eorum, & deficient, & in puluerẽ ſuũ reuertentur.*

*Emitte Spiritum tuum & creabuntur: et renouabis faciem terræ.*

*Sit gloria Domini in ſeculum: lætabitur Dominus in operibus ſuis.*

*Qui raſpicit terram, facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.*

*Cantabo Domino in vita mea: pſallã Deo meo quandiu ſum.*

*Iucundum ſit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino.*

*Deficient peccatores à terra, et iniqui, ita vt non ſint: benedic anima mea Domino.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. CIIII.

*Confitemini Domino, & inuocate nomẽ eius: annunciate inter gentes opera eius.*

*Cantate ei & pſallite ei: narrate omnia mirabilia eius.* Lau-

*Laudamini in nomine ſanctò eius: lætetur cor quærentium Dominum.*

*Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius ſemper.*

*Mementote mirabilium eius, quæ fecit: prodigia eius, & iudicia oris eius.*

*Semen Abraham ſerui eius: filij Iacob electi eius.*

*Ipſe Dominus Deus noſter: in vniuerſa terra iudicia eius.*

*Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui: verbi quod manduit in mille generationes.*

*Quod diſpoſuit ad Abraham: & iuramēti ſui ad Iſaac.*

*Et ſtatuit illud Iacob in præceptum: & Iſraël in teſtamentum æternum.*

*Dicens; tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ.*

*Cùm eſſent numero breui: pauciſſimi & incolæ eius.*

*Et pertranſierunt de gente in gentem: & de regno ad populum alterum.*

*Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges.*

*Nolite tangere Chriſtos meos: & in Prophetis meis nolite malignari.*

*Et vocauit famē ſuper terram: & omne firmamentum panis contriuit.*

*Miſit ante eos virum: in ſeruum venūdatus eſt Ioſeph.*

*Humiliauerūt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit animam eius: donec veniret verbum eius.*

*Eloquium Domini inflammauit eum: miſit Rex, & ſoluit eum, princeps populorum, & dimiſit eum.*

*Conſtituit eum Dominum domus ſuæ: & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.*

*Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum: & ſenes eius prudētiam doceret.*

*Et intrauit Iſraël in Egyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.*

*Et auxit populum ſuum vehementer: & firmauit eum ſuper inimicos eius.*

*Conuertit cor eorum, vt odirent populũ eius: & dolum facerent in ſeruos eius.*

*Miſit Moyſen ſeruum ſuum: Aaron quẽ elegit ipſum.*

*Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum: & prodigiorum in terra Cham.*

*Miſit tenebras, & obſcurauit: & non exacerbauit ſermones ſuos.*

*Conuertit aquas eorum in ſanguinem: & occidit piſces eorum.*

*Et dedit terra eorum ranas: in penetralibus Regem ipſorum.*

*Dixit, & venit cynomyia: & cyniphes in omnibus finibus eorum.*

*Poſuit pluuias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipſorum.*

*Et percuſsit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contriuit lignũ finium eorũ.*

*Dixit & venit locuſta, & bruchus: cuius non erat numerus.*

*Et comedit omne fœnum in terra eorum: & comedit omnẽ fructum terræ eorũ.*

*Et percuſsit omnẽ primogenitum in terra eorũ: primitias omnis laboris eorũ.*

*Et eduxit eos cum argento & auro: & nõ erat in tribubus eorum infirmus.*

*Lætata eſt Ægyptus in profectionem eorũ: quia incubit timor eorũ ſuper eos.*

*Expandit nubem in protectionẽ eorum: & ignem, vt luceret eis per noctem.*

*Petierunt, & venit coturnix: & pane cœli ſaturauit eos.*

*Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in ſicco flumina.*

*Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui: quod habuit ad Abraham puerũ ſuum.*

*Et*

*Et eduxit populum ſuum in exultatione: & electos ſuos in lætitia.*

*Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum poſſederunt.*

*Vt cuſtodiant iuſtificationes eius: & legē eius requirant.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

PSALM. CXXXXVIII.

*Laudate Dominum de cælis: laudate eū in excelſis.*

*Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.*

*Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen.*

*Laudate eum cæli cælorum: & aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini.*

*Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.*

*Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi:*

*culi: præceptum poſsit & non præteribit.*

*Laudate Dominum de terra: dracones et omnes abyſsi.*

*Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.*

*Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.*

*Beſtiæ, & vniuerſa pecora: ſerpentes, & volucres pennatæ.*

*Reges terræ, & omnes populi: principes & omnes iudices terræ.*

*Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.*

*Confeſsio eius ſuper cœlum & terram: & exaltauit cornu populi ſui.*

*Hymnus omnibus ſanctis eius filiis Iſraël: populo appropinquanti ſibi.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

PRO

# PRO AFFLICTIS, ET QVASI A DEO DERELICTIS.

## PSALM. XXI.

*Deus Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti? lõgè à ſalute mea verba delictorum meorum.*

*Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte & non ad inſipientiã mihi.*

*Tu autem in ſancto habitas, laus Iſraël.*

*In te ſperauerunt Patres noſtri: ſperauerunt, & liberâſti eos.*

*Ad te clamauerunt & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.*

*Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum et abiectio plebis.*

*Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.*

*Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.*

*Quoniam tu es qui extrâxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ: in te proiectus ſum ex vtero.*

*De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne diſceſſeris à me.*

*Quoniam tribulatio proxima eſt: quoniam non eſt qui adiuuet.*

*Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.*

*Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.*

*Sicut aqua effuſus ſum: & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.*

*Factum eſt cor meum tanquàm cera liqueſcens: in medio ventris mei.*

*Aruit tãquàm teſta virtus mea: & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxiſti me.*

*Quoniam circunderunt me canes multi: conſilium malignantium obſedit me.*

*Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea.*

*Ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerũt me: diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.*

*Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.*

*Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam.*

*Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicornium humilitatem meam.*

*Narrabo nomen tuum fatribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.*

*Qui timetis Dominũ, laudate eum: vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum.*

*Timeat eum omne ſemen Iſraël: quoniam non ſpreuit, neq; deſpexit deprecationem pauperis.* Nec

*Nec auertit faciem ſuam à me, et cùm clamarem ad eum exaudiuit me.*

*Apud te laus mea in Eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.*

*Edent pauperes & ſaturabuntur: & laudabũt Dominum qui requirunt eum: viuent corda eorum in ſeculum ſeculi.*

*Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ.*

*Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium.*

*Quoniam Domini eſt regnum: & ipſe dominabitur gentium.*

*Manducauerunt & adorauerũt omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram.*

*Et anima mea illi viuet: & ſemen meum ſeruiet ipſi.*

*Annunciabitur Domino generatio ventura,*

*tur a, annunciabunt cæli iuſtiam eius populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. LXIII.

*Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam.*

*Protexiſti me à conuentu malignantium: à multitudine operantium iniquitatem.*

*Quia exacuerũt vt gladium linguas ſuas: intenderunt arcum rem amaram: vt ſagittent in occultis immaculatum.*

*Subitò ſagittabunt eũ, & non timebunt, firmauerunt ſibi ſermonem nequam.*

*Narrauerunt vt abſconderent laqueos: dixerunt: Quis videbit eos?*

*Scrutati ſunt iniquitates: defecerũt ſcrutantes ſcrutinio.* Accedit

*Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur Deus.*

*Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum: & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.*

*Conturbati ſunt omnes qui videbant eos: & timuit omnis homo.*

*Et annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt.*

*Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. LXVIII.

*Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam.*

*Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia.*

*Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Labo-

*Laboraui clamans: raucæ factæ ſunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.*

*Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.*

*Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè: quæ non rapui tunc exoluebam.*

*Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita.*

*Non erubeſcant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum.*

*Non confundantur ſuper me qui quærũt te, Deus Iſraël.*

*Quoniã propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.*

*Extraneus factus ſum fratribus meis: & peregrinus filiis matris meæ.*

*Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.*

Et

*Et operui in ieiunio animam meam: & factum eſt in opprobrium mihi.*

*Et poſui veſtimentum meum cilicium: & factus ſum illis in parabolam.*

*Aduerſum me loquebantur qui ſedebāt in porta: & in me pſallebant qui habebant vinum.*

*Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.*

*In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me: in veritate ſalutis tuæ.*

*Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab iis qui oderunt me: & de profundis aquarum.*

*Non me demergat tempeſtas aquæ: neq; abſorbeat me profundum: neq; vrgeat ſuper me puteus os ſuum.*

*Exaudi me Domine, quoniā benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.*

*Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniã tribulor, velociter exaudi me.*

*Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.*

*Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reuerentiam meam.*

*In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miſeriam.*

*Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.*

*Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto.*

*Fiat mẽſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones & in ſcandalum.*

*Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurua.*

*Effunde ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.*

*Fiat habitatio eorum deſerta, & in taber-naculis eorum non ſit qui inhabitet.*

*Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum me-orum addiderunt.*

*Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in iuſtitiam tuam.*

*Deleantur de libro viuentium: & cum iuſtis non ſcribantur.*

*Ego ſum pauper & dolens: ſalus tua Deus ſuſcepit me.*

*Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.*

*Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum: cornua producentem & vngulas.*

*Videant pauperes & lætentur: quærite Deum, & viuet anima veſtra.*

*Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos ſuos non deſpexit.*

*Laudent illum cœli & terra, maria & omnia reptilia in eis.*

*Quoniam Deus ſaluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iudæ.*

*Et inhabitabunt ibi: & hæreditate acquirent eam.*

*Et ſemen ſeruorum eius poßidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PRO AMORE COELESTIS PATRIAE.

## PSALM. XLI.

*Quemadmodùm deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

*Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?*

*Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?*

*Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſq; ad domum Dei.*

*In voce exultationis & confeßionis ſonus epulantis.*

*Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?*

*Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.*

*Ad meipſum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonij à monte modico.*

*Abyſſus abyſſum inuocat, in voce catharactarum tuarum.*

*Omnia excelſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierunt.*

*In*

*In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.*

*Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo ſuſceptor meus es tu.*

*Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?*

*Dum confringuntur oſſa mea exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.*

*Dum dicunt mihi per ſingulos dies: Vbi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?*

*Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. LXII.

*Deus Deus meus ad te de luce vigilo.*

*Sitiuit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.*

*In terra deſerta, inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.*

*Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: labia mea laudabunt te.*

*Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.*

*Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.*

*Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum: in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adiutor meus.*

*Et in velamento alarum tuarum exultabo: adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.*

*Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ,*

*tra-*

*tradētur in manus gladij, partes vulpium erunt.*

*Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. LXXXIII.

*Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

*Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

*Etenim paſſer inuenit ſibi domũ: & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos.*

*Altaria tua Domine virtutum: Rex meus & Deus meus.*

*Beati qui habitant in domo tua: in ſecula ſeculorum laudabunt te.*

*Beatus vir cuius eſt auxilium abs te: aſcē-*

*ſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lachrymarum in loco quem poſuit.*

*Etenim benedictiones dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.*

*Domine Deus virtutum exaudi orationem meã: auribus percipe Deus Iacob.*

*Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.*

*Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.*

*Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

*Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.*

*Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.*

*Gloria Patri & Filio, &c.* PRO

# PRO TRIBVLATIS, ET IN ANGVSTIA POSITIS.

## PSALM. XII.

*Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? vſquequo auertis faciẽ tuam à me?*

*Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?*

*Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice, & exaudi me Domine Deus meus.*

*Illumina oculos meos, ne vnquàm obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum.*

*Qui tribulant me exultabunt ſi mortuus fuero: ego autem in miſericordia tua ſperaui.*

*Exultabit cor meum in ſalutari tuo: can-*

*tabo Domino qui bona tribuit mihi, et pſallam nomini Domini altiſsimi.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. XXXXIII.

*Deus auribus noſtris audiuimus: Patres noſtri annunciauerunt nobis.*

*Opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.*

*Manus tuas gentes diſperdidit, & plantâſti eos: affixiſti populos, & expuliſti eos.*

*Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram: & brachium eorum non ſaluauit eos.*

*Sed dextera tua et brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuiſti in eis.*

*Tu es ipſe Rex meus & Deus meus: qui mandas ſalutes Iacob.*

*In*

*In te inimicos noſtros ventilabimus cornu: & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.*

*Non enim in arcu meo ſperabo: & gladius meus non ſaluabit me.*

*Saluâſti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudiſti.*

*In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in ſeculum.*

*Nunc autem repuliſti, & confudiſti nos: & non egredieris Deus in virtutibus noſtris.*

*Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros: & qui oderunt nos, diripiebant ſibi.*

*Dediſti nos tanquàm oues eſcarum: & in gentibus diſperſiſti nos.*

*Vendidiſti populum tuum ſine precio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum.*

*Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his qui ſunt in circuitu noſtro.*

*Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.*

*Tota die verecundia mea contra me eſt: confuſio faciei meæ cooperuit me.*

*A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & perſequentis.*

*Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te, & iniquè non egimus in teſtamento tuo.*

*Et non receſſit retrò cor noſtrum: & declinâſti ſemitas noſtras à via tua.*

*Quoniam humiliâſti nos in loco afflictionis: & cooperuit nos vmbra mortis.*

*Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deũ alienum.*

*Nonne Deus requiret iſta? ipſe enim nouit abſcondita cordis.* Quo-

*Quoniam propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.*

*Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.*

*Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?*

*Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra: conglutinatus eſt in terra venter noſter.*

*Exurge Domine, adiuua nos & redime nos propter nomen tuum.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. LVI.

*Miſerere mei Deus miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea.*

*Et in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.*

*Clamabo ad Deum altiſsimũ: Deum qui benefecit mihi.* Mi-

*Miſit de cœlo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me.*

*Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam: et eripuit animã meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus.*

*Filij hominum, dentes eorũ arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus.*

*Exaltare ſuper cœlos Deus: & in omnem terram gloria tua.*

*Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam.*

*Foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam.*

*Paratum cor meum Deus: paratum cor meum: cantabo & pſalmum dicam.*

*Exurge gloria mea, exurge pſalterium et cithara: exurgam diluculo.*

*Cõfitebor tibi in populis Domine, & pſalmum dicam tibi in gentibus.*

*Quo-*

*Quoniam magnificata eſt vſque ad cœlos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua.*

*Exaltare ſuper cœlos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. LIIII.

*Exaudi Deus orationem meam: & ne deſpexeris deprecationẽ meam: intende mihi & exaudi me.*

*Contriſtatus ſum in exercitatione mea: & conturbatus ſum à voce inimici: & à tribulatione peccatoris.*

*Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in ira moleſti erant mihi.*

*Cor meum conturbatum eſt in me: & formido mortis cecidit ſuper me.*

*Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.*

*Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ: & volabo & requieſcam.*

*Ecce elongaui fugiens: & manſi in ſolitudine.*

*Expectabam eum qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.*

*Præcipita Domine, & diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.*

*Die ac nocte circundabit eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniuſtitia.*

*Et nõ defecit de plateis eius vſura & dolus.*

*Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique.*

*Et ſi is qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet: abſcondiſſem me forſitan ab eo.*

*Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus.*

*Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.*

*Veniat mors ſuper illos: & deſcendant in infernum viuentes.*

*Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.*

*Ego autem ad Deum clamaui: & Dominus ſaluabit me.*

*Veſpere, & manè & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet vocē meam.*

*Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.*

*Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui eſt ante ſecula.*

*Non enim eſt illis commutatio, & non timuerunt Deum: extendit manū ſuam in retribuendo.*

*Contaminauerunt teſtamentum eius, diuiſi ſunt ab ira vultus eius: & appropinquauit cor illius.*

*Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum: & ipſi ſunt iacula.*

*Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: & non dabit in æternum fluctuationem iuſto.*

*Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus.*

*Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabũt dies ſuos: ego autem ſperabo in te Domine.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. LXX.

*In te Domine ſperaui non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me.*

*Inclina ad me aurem tuam, & ſalua me.*

*Eſto*

*Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, & ſaluum me facias.*

*Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.*

*Deus meus eripe me de manu peccatoris: & de manu contra legem agentis & iniqui.*

*Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea à iuuentute mea.*

*In te confirmatus ſum ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus.*

*In te cantatio mea ſemper: tanquàm prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis.*

*Repleatur os meum laude: vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

*Ne proiicias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

*Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſiliũ fecerunt in vnum.*

*Dicentes: Deus dereliquit eum: perſequimini, & comprehendite eum: quia nõ eſt qui eripiat.*

*Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice.*

*Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confuſione & pudore qui quærunt mala mihi.*

*Ego autẽ ſemper ſperabo: et adiiciam ſuper omnem laudem tuam.*

*Os meum annunciabit iuſtitiam tuam: tota die ſalutare tuum.*

*Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentiam Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.*

*Deus docuiſti me à iuuentute mea: & vſq; nunc pronunciabo mirabilia tua.*

*Et*

*Et vſque in ſenectam & ſenium, Deus ne derelinquas me.*

*Donec annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura eſt.*

*Potentiam tuam et iuſtitiam tuam Deus, vſque in altiſsima quæ feciſti magnalia: Deus quis ſimilis tibi?*

*Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas: & conuerſus viuificâſti me: & de abyſsis terræ iterum reduxiſti me.*

*Multiplicâſti magnificentiam tuam: & conuerſus conſolatus es me:*

*Nam & ego confitebor tibi in vaſis pſalmi veritatem tuam Deus: pſallam tibi in cithara, ſanctus Iſraël.*

*Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi: & anima mea quam redemiſti.*

*Sed & lingua mea tota die meditabatur iuſtitiā tuam: cùm confuſi & reueriti*

*fuerint qui quærunt mala mihi.*
*Gloria Patri & Filio, &c.*

# POST ACCEPTAM QVIETEM.

## PSALM. XXXIII.

*Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.*
*In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur.*
*Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipſum.*
*Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*
*Accedite ad eum & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.*
*Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.* Im-

*Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.*

*Guſtate & videte, quoniã ſuauis eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo.*

*Timete Dominum omnes ſancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum.*

*Diuites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

*Venite filij audite me: timorem Domini docebo vos.*

*Quis eſt homo qui vult vitã: diligit dies videre bonos?*

*Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.*

*Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.*

*Oculi Domini ſuper iuſtos: & aures eius in preces eorum.*

*Vultus autem Domini ſuper facientes ma-*

*la: vt perdat de terra memoriam eorum.*

*Clamauerũt iuſti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.*

*Iuxta eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſaluabit.*

*Multæ tribulationes iuſtorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.*

*Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: vnũ ex his non conteretur.*

*Mors peccatorum peſſima: & qui oderunt iuſtum delinquent.*

*Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum: et nõ delinquent omnes qui ſperant in eo.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## PSALM. CII.

*Benedic anima mea Domino: & omnia*

*quæ*

*quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.*

*Benedic anima mea Domino: et noli obliuiſci omnes retributiones eius.*

*Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas.*

*Qui redimit de interitu vitam tuã, qui coronat te in miſericordia et miſerationibus.*

*Qui replet in bonis deſiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.*

*Faciens miſericordias Dominus: et iudicium omnibus iniuriam patientibus.*

*Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſraël voluntates ſuas.*

*Miſerator et miſericors Dominus: longaminis et multum miſericors.*

*Non in perpetuũ iraſcetur: neq; in æternum comminabitur.*

*Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis:*

*bis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.*

*Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra: corroborauit miſericordiā ſuam ſuper timentes ſe.*

*Quantum diſtat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates noſtras.*

*Quomodo miſeretur Pater filiorum: miſertus eſt Dominus timētibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrū.*

*Recordatus eſt quoniam puluis ſumus, homo ſicut fœnum dies eius: tanquàm flos agri ſic efflorebit.*

*Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet ampliùs locum ſuum.*

*Miſericordia autem Domini ab æterno & vſque in æternum ſuper timentes eum.*

*Et iuſtitia illius in filios filiorū iis qui ſeruant teſtamentum eius.* Et

*Et memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea.*

*Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur.*

*Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius: ad audiẽdam vocem ſermonum eius.*

*Benedicite Domino omnes virtutes eius: miniſtri eius qui facitis voluntatem eius.*

*Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.*

*Gloria Patri et Filio, &c.*

## PSALM. CXXXXIIII.

*Exaltabo te Deus meus Rex: et benedicã nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.*

*Per*

*Per ſingulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in ſeculum et in ſeculum ſeculi.*

*Magnus Dominus et laudabilis nimis: et magnitudinis eius non eſt finis.*

*Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuā pronunciabunt.*

*Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur: et mirabilia tua narrabūt.*

*Et virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt.*

*Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt: et iuſtitia tua exultabūt.*

*Miſerator et miſericors Dominus: patiens et multum miſericors.*

*Suauis Dominus vniuerſis: et miſerationes eius ſuper omnia opera eius.*

*Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: et ſancti tui benedicant tibi.*

*Gloriam regni tui dicent: et potentiam tuam loquentur.*

*Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam: et gloriam magnificentiæ regni tui.*

*Regnum tuum regnum omnium ſeculorum: et dominatio tua in omni generatione et generatione.*

*Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis: et ſanctus in omnibus operibus ſuis.*

*Alleuat Dominus omnes qui corruunt: et erigit omnes eliſos.*

*Oculi omnium in te ſperant Domine: et tu das eſcam illorum in tempore opportuno.*

*Aperis tu manum tuam: et imples omne animal benedictione.*

*Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis: et ſanctus in omnibus operibus ſuis.*

*Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate.*

*Voluntatem timentium ſe faciet: et deprecationem eorum exaudiet, et ſaluos facies eos.*

*Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe: et omnes peccatores diſperdet.*

*Laudationem Domini loquetur os meum: et benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum, et in ſeculum ſeculi.*

*Gloria Patri & Filio, &c.*

## ORATIO ANTE LAETANIAM.

MISERERE *mihi miſero peccatori, miſericors Trinitas ſancta, et dimitte vniuerſa peccata et delicta mea, quæ commiſi coram ſanctis Angelis tuis in conſpectu tuo, per merita et interceſſiones omnium ſanctorum tuorũ libera me clementiſſima Trinitas vnâ cum cõiuge noſtra*

*noſtra Yrmindrudi, ac liberis noſtris, et omni populo Chriſtiano ab omni malo præſenti ei futuro, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de inferno ad paradiſum, de ignorantia ad ſcientiam, de peccatis ad veram pœnitentiam, de omnibus vitiis ad perfectas virtutes, de cunctis inſidiis inimicorum ad medicinam cæleſtem et diuinam protectionem per inuocationem trini nominis tui Patris, et Filij et Spiritus ſancti: Quia qui fideliter nomen tuum inuocauerit, ſaluus erit. Peto Domine vt omnes ſancti Spiritus, Angeli, Archangeli, virtutes, poteſtates, principatus, dominationes, Trhoni, Cherubin, Seraphin, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, et omnes Sancti, qui nos præceſſerunt ab Adam vſq; hodie orent pro nobis.*

*INCI-*

# INCIPIT LÆTANIA.

KYRIEELEYSON. KYRIEELEYSON.
CHRISTEELEYSON. CHRISTE AVDI NOS.

*Sancta* MARIA. *ora pro nobis.*
*Sancte Michael. ora pro nobis.*
*Sancte Gabriel. ora pro nobis.*
*Sancte Raphael. ora pro nobis.*
*Sancte Iohannes Baptiſta. ora pro nobis.*
*Sancte Petre. ora pro nobis.*
*Sancte Paule. ora pro nobis.*
*Sancte Andrea. ora pro nobis.*
*Sancte Iohannes. ora pro nobis.*
*Sancte Iacobe. ora pro nobis.*
*Sancte Thoma. ora pro nobis.*
*Sancte Philippe. ora pro nobis.*
*Sancte Iacobe. ora pro nobis.*
*Sancte Bartholomæe. ora pro nobis.*
*Sancte Matthæe. ora pro nobis.*
*Sancte Simon. ora pro nobis.*
*Sancte Thadeæ: ora pro nobis.*

*Sancte*

*Sancte Mathia. ora pro nobis.*
*Sancte Marce. ora pro nobis.*
*Sancte Luca. ora pro nobis.*
*Sancte Barnaba. ora pro nobis.*
*Sancte Thimothee. ora pro nobis.*
*Omnes ſancti Apoſtoli. orate pro nobis.*
*Sancte Stephane. ora pro nobis.*
*Sancte Line. ora pro nobis.*
*Sancte Clete. ora pro nobis.*
*Sancte Clemens. ora pro nobis.*
*Sancte Dionyſi. ora pro nobis.*
*Sancte Ruſtice. ora pro nobis.*
*Sancte Eleutheri. ora pro nobis.*
*Sancte Syxte. ora pro nobis.*
*Sancte Laurenti. ora pro nobis.*
*Sancte Hippolyte. ora pro nobis.*
*Sancte Tiburti. ora pro nobis.*
*Sancte Valeriane. ora pro nobis.*
*Sancte Fabiane. ora pro nobis.*
*Sancte Sebaſtiane. ora pro nobis.*

*Sancte Corneli. ora pro nobis.*
*Sancte Cipriane. ora pro nobis.*
*Sancte Alexander. ora pro nobis.*
*Sancte Vitalis. ora pro nobis.*
*Sancte Geruaſi. ora pro nobis.*
*Sancte Protaſi. ora pro nobis.*
*Sancte Nazari. ora pro nobis.*
*Sancte Celſe. ora pro nobis.*
*Sancte Nabor. ora pro nobis.*
*Sancte Marcelline. ora pro nobis.*
*Sancte Petre. ora pro nobis.*
*Sancte Prote. ora pro nobis.*
*Sancte Yacincte. ora pro nobis.*
*Sancte Hermes. ora pro nobis.*
*Sancte Saturnine. ora pro nobis.*
*Sancte Firmine. ora pro nobis.*
*Sancte Georgi. ora pro nobis.*
*Sancte Bonifaci. ora pro nobis.*
*Sancte Maurici. ora pro nobis.*
*Sancte Gereon. ora pro nobis.*

| | |
|---|---|
| *Sancte Coſme.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Damiane.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Theodore.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Benigne.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Priuate.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Euſtachi.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Menne.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Albine.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Cucupha.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Peregrine.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Quintine.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Marcelle.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Lantberte.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Criſpine.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Criſpiniane.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Chriſtophore.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Symphoriane.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Luciane.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Appollonaris.* | *ora pro nobis.* |
| *Sancte Vrbane.* | *ora pro nobis.* |

*Sancte Proiecte.* ora pro nobis.
*Sancte Vite.* ora pro nobis.
*Sancte Agapite.* ora pro nobis.
*Omnes ſancti Martyres.* orate pro nobis.
*Sancte Hilari.* ora pro nobis.
*Sancte Martine.* ora pro nobis.
*Sancte Benedicte.* ora pro nobis.
*Sancte Gregori.* ora pro nobis.
*Sancte Ambroſi.* ora pro nobis.
*Sancte Auguſtine.* ora pro nobis.
*Sancte Hieronyme.* ora pro nobis.
*Sancte Leo.* ora pro nobis.
*Sancte Medarde.* ora pro nobis.
*Sancte Germane.* ora pro nobis.
*Sancte Euſebi.* ora pro nobis.
*Sancte Remigi.* ora pro nobis.
*Sancte Maxime.* ora pro nobis.
*Sancte Fortunate.* ora pro nobis.
*Sancte Marcialis.* ora pro nobis.
*Sancte Auite.* ora pro nobis.

*Sanɩ̈e Euorti.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Aniane.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Vualerice.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Florenti.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Maxenti.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Columbane.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Clodoolde.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Siluine.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Amande.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Carileſe.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Bricci.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Arnulfe.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Albine.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Sulpica.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Phyliberte.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Lupe.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Donate.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Vedaſte.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Eligi.* *ora pro nobis.*
*Sanɩ̈e Audœne.* *ora pro nobis.*

*Sancte Gaugerice.* ora pro nobis.
*Sancte Paule.* ora pro nobis.
*Sancte Antoni.* ora pro nobis.
*Sancte Machari.* ora pro nobis.
*Sancte Pauline.* ora pro nobis.
*Sancte Seuerine.* ora pro nobis.
*Omnes ſancti Cōfeſſores.* orate pro nobis.
*Sancta Felicitas.* ora pro nobis.
*Sancta Perpetua.* ora pro nobis.
*Sancta Petronilla.* ora pro nobis.
*Sancta Teda.* ora pro nobis.
*Sancta Agatha.* ora pro nobis.
*Sancta Agnes.* ora pro nobis.
*Sancta Cecilia.* ora pro nobis.
*Sancta Lucia.* ora pro nobis.
*Sancta Anaſtaſia.* ora pro nobis.
*Sancta Scholaſtica.* ora pro nobis.
*Sancta Euphemia.* ora pro nobis.
*Sancta Genoueſa.* ora pro nobis.
*Sancta Radegundis.* ora pro nobis.

*Sancta Gertrudis. ora pro nobis.*
*Sancta Eulalia. ora pro nobis.*
*Sancta Leuchadia. ora pro nobis.*
*Sancta Brigida. ora pro nobis.*
*Sancta Aldegundis. ora pro nobis.*
*Sancta Medriſma. ora pro nobis.*
*Sancta Criſtina. ora pro nobis.*
*Sancta Eugenia. ora pro nobis.*
*Sancta Columba. ora pro nobis.*
*Sancta Iulitta. ora pro nobis.*
*Sancta Iuliana. ora pro nobis.*
*Sancta Balthildis. ora pro nobis.*
*Sancta Priſca. ora pro nobis.*
*Sancta Praxedis. ora pro nobis.*
*Sancta Fara. ora pro nobis.*
*Sancta Sauina. ora pro nobis.*
*Omnes ſanctæ Virgines. orate pro nobis.*
*Omnes ſanctæ Viduæ. orate pro nobis.*
*Omnes Sancti. orate pro nobis.*
*Propitius eſto: parce nobis Domine.*

*Propitius eſto: libera nos Domine.*
*Ab omni malo: libera nos Domine.*
*Per crucem tuam: libera nos Domine.*
*Peccatores: te rogamus audi nos.*
*Vt pacē nobis dones: te rogamus audi nos.*
*Vt ſanitatem nobis dones: te rogamus audi nos.*
*Vt compunctionem cordis.*
*Vt fontem lachrymarum nobis.*
*Vt illicitas voluptates à nobis abſcindere digneris.*
*Vt ſpatium pœnitentiæ nobis.*
*Vt remiſsionem omnium peccatorum noſtrorum nobis dones.*
*Vt gratiam tuam nobis concedere digneris: te rogamus audi nos.*
*Vt ad gaudia æterna nos perducere digneris: te rogamus audi nos.*
*Vt Apoſtolicum noſtrum in ſancta religione conſeruare digneris: te rogamus audi nos.*

*Vt mihi tua miſericordia, vitam & proſperitatem, victoriam, atque poſt obitum requiem æternam donare digneris: te rogamus audi nos.*

*Vt Yrmindrudim coniugem noſtram cum liberis noſtris conſeruare digneris: te rogamus audi nos.*

*Vt cunctum populum Chriſtianum perpetua pace conſeruare digneris.*

*Vt animabus parentum noſtrorum requiem æternam donare digneris: te rogamus audi nos.*

*Fili Dei: te rogamus audi nos.*

*Agne Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.*

*Agne Dei, qui tollis peccata mundi: libera nos Domine.*

*Agne Dei, qui tollis peccata mundi: miſerere nobis.*

*Chriſte audi nos.* *Chriſte audi nos*

*Kyrieeleyſon. Chriſteeleyſon.*
*Kyrieeleyſon.*
*Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo.*
*Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam tota die magnitudinē tuā.*
*Domine auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*
*Cor meum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.*
*Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*
*Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.*
*Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*
*Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.*
*Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.*

*Com-*

*Complaceat tibi Domine vt eruas me,*
*Domine ad adiuuandum me reſpice.*
*Adiutor & liberator meus eſto Domine*
*ne moreris.*
*Benedictus Dominus de die in diem, pro-*
*ſperum iter faciet nobis Deus ſaluta-*
*rium noſtrorum.*
*Deus in adiutorium meum intende, Do-*
*mine ad adiuuandum me feſtina.*
*Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus &*
*immortalis, qui tollis peccata mundi,*
*miſerere nobis.*
*Cuſtodi me Domine vt pupillam oculi, ſub*
*vmbra alarum tuarum protege me.*
*Pro fidelibus defunctis requiem æternam*
*dona eis Domine, & lux perpetua luceat*
*eis.*
*A porta inferi, erue Domine animas eo-*
*rum.*
*Partem beatæ reſurrectionis obtineant,*
*vitamq́;*

*vitamq́ꝫ æternam habere mereantur in cælis, per te Chriſte Ieſum, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.*

*Exaudi Domine vocē meam qua clamaui ad te: miſerere mei, & exaudi me.*

*Miſerere mei Deus, vſqꝫ in finē. Pſal. 50.*

*Oremus. Deus cæli terræq́ꝫ Dominator, auxilium nobis tuæ defenſionis benignus impende, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

*Benedicamus Domino. Deo gratias.*

# ORATIO SANCTI AVGVSTINI DE SANCTA TRINITATE, ET PRO VANA & multimoda cogitatione.

D*EVS ſemper idem, nouerim me, noue-*

*nouerim te. Libera me Domine Deus meus à multiloquio cogitationis quod patior intùs in anima mea miſera in conſpectu tuo, & confugientem ad miſericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens voce. Et ſiquidem non cogitarem, niſi quod placeret & tibi, non vtiq; rogarem vt me ab hoc multiloquio cogitationis liberares. Sed multæ ſunt cogitationes meæ tales, quales noſti cogitationes hominum, quoniã vanæ ſunt. Dona mihi non eis conſentire. Et ſi quando me delectant, eas nihilominùs improbare, nec in eis vel vt dormitando immorari. Nec in tantum valeant apud me, vt aliquid in opera mea procedat ex illis, ſed ab eis mea ſaltem ſit tuta ſententia, tuta conſcientia à te tuente.*

*ORA-*

# ORATIO PRO VIVIS ATQVE DEFVNCTIS, VEL PRO HIS QVI IN VOBIS PECcauerunt, vel in quibus peccatis.

DOMINE *Ieſu Chriſte cuius æterna & æqualis atque indiuiſa & incomprehenſibilis atque incommutabilis eſt vna cũ Patre poteſtas & Spiritu ſancto, & bonitas ac miſericordia, miſerere mihi peccatori, & viuis atque defunctis, quos ego peruerſis exemplis, & iniquis ſuaſionibus meis peccare feci atque coëgi, nec non & illis qui me peccatorem exemplis ac ſuaſionibus prauis à viis iuſtitiæ recedere atque ad iniquitatem declinare fecerunt, perpetua indulgentia & miſericordia clemens & benignus ac miſericors ſecundum voluntatem tuam parce & ſuccurre.*

*ORA-*

# ORATIO CONTRA INIMICORVM VISIBILIVM ET INVISIBILIVM INSIDIAS.

DEVS *vniuerſitatis Chriſte qui Manaſſen de omni captiuitatis miſeria & anguſtia eripuiſti, & ei regni ſedem reſtituiſti, qui etiam pendens in cruce latroni iuxta te in cruce pendenti, ac tuam maieſtatem exoranti regna cœlorum ſerâſti. Omnium inimicorum meorum viſibilium & inuiſibilium mihi nocere cupientium inſidiis, potenter reſiſte. Et me peccatorem nullum præter te defenſorem habentem, propter peccata mea non deſeras, ſed ab omnibus iniquitatibus, quibus ego ſedula ſubiectione ſeruiui ac ſeruio, & ab omni noxia verecundia viſibilis & inuiſibilis inimici, & cunctarum aduerſitatum ac tribulationum*

*vitæ*

*vitæ præſentis & futuræ. Propter tui nominis honorem & gloriam tuo ſine intermiſſione me ſemper defende ac libera propitius & benignus auxilio, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.*

## ORATIO QVANDO OFFERTIS AD MISSAM PRO PROPRIIS PECCATIS, ET PRO animabus amicorum.

SVSCIPE *ſancta Trinitas atq; indiuiſa vnitas hanc oblationem quam tibi offero per manus Sacerdotis tui, pro me peccatore, & miſerrimo omnium hominum, pro meis peccatis innumerabilibus, quibus peccaui coram te, in dictis, in factis, in cogitationibus, vt præterita mihi dimittas, & de futuris me cuſtodias. Pro ſanitate*

*ſanitate corporis & animæ meæ, pro gratiarum actione bonorum tuorum quibus vtor quotidie. Quid retribuam tibi Domino, pro omnibus quæ retribuis mihi? Hanc oblationem ſalutaris tibi offerre præſumo, & nomen tuum inuocabo. Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.*

*Suſcipe etiam Domine eandem oblationem pro animabus parentum meorum et amicorum, & omnium in Chriſto quieſcentium, vt conſortio Sanctorum tuorũ, cum perpetua fruantur æternitate.*

## CONFITENDA SVNT PECCATA SECRETE CORAM DEO ANTEQVAM VESTRAM offeratis oblationem, vel communicetis.

CONFITEOR *tibi Domine omnia*

 *peccata*

*peccata mea quæcunq; feci, & egi, & geſsi omnibus diebus vitæ meæ. Deus qui creaſti omnia, tu noſti omnia peccata mea, indulge & miſerere mei, quia nimium peccaui tibi. Vnde quæſo te Domine, vt fiat mihi fides firma in corde, galea ſalutis in capite, ſignum Chriſti in fronte, verbum veritatis in ore, voluntas bona in mente, dilectio Dei in pectore, præcinctio caſtitatis in circuitu, honeſtas in actione, ſobrietas in conſcientia, humilitas in proſperitate, patientia in tribulatione, ſpes in creatore, perſeuerantia vſque in finem, amor vitæ æternæ, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui tecum viuit in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum.*

*Amen.*

# QVID ORANDVM SIT AD MISSAM PRO SACERDOTE QVANDO PETIT pro ſe orare.

SPIRITVS *ſanctus ſuperueniat in te, et virtus Altiſsimi obumbret te. Memor ſit ſacrificij tui, et holocauſtum tuum pingue fiat. Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omnem petitionem tuam confirmet. Da Domine pro noſtris peccatis acceptibile & ſuſceptibile fieri ſacrificium in conſpectu tuo.*

# ORATIO ANTE COMMVNIONEM.

DOMINE *ſancte Pater omnipotens æterne Deus; Da mihi corpus & ſanguinem Chriſti Filij tui Domini noſtri ita ſumere, vt merear per hoc remiſsio-*

*nem peccatorum accipere, & tuo ſancto Spiritu repleri. Quia tu es Deus, & in te eſt Deus, & præter te non eſt alius, cuius regnum permanet in ſecula ſeculorum. Amen.*

## ORATIO POST COMMVNIONEM.

*QVOD ori ſumpſi Domine mente capiam, ut de corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, fiat mihi remedium ſempiternum, per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*


## ORATIO SANCTI AVGVSTINI PRO AGNITIONE DEI ET INDVLGENTIA DElictorum, & ereptione diuerſarum tribulationum.


*TIBI ſoli Domino peccaui, quia tu ſolus es ſine peccato. Da miſericordiã miſero, qui tàm diu peperciſti criminoſo. Aſpice ad infelicem pietas immenſa. Reſpice crudelem miſericordia publica. Penè deſperatus ad omnipotentem venio. Vulneratus ad medicum curro: Serua Domine pietatem manſuetudinis, qui tàm diu ſuſpendis gladium vltionis. Dele numeroſitatem criminum multitudine tuarũ miſericordiarum. Inuocat te anima mea qui feciſti me. Non obliuiſcaris oblitum tui, & deſerentem te ne deſeras, vita quæ nunquam morieris, Deus vne, Deus trinitas, Deus in cuius valdè confido miſericordia, ſalus eſto infirmitati meæ, & verus reſuſcitator animæ meæ.*

## ORATIO DIVI ISIDORI CONTRA INSIDIAS DIABOLI.

TV Domine verus Doctor & præſtitor, qui creator es, et redẽptor, largitor, & munitor, aduocatus ac Iudex, terribilis & clemens, qui cæcis mentibus donas aſpectum, qui infirmis poſsibile eſſe facis, quod præcipis, qui ſic pius es vt aſsiduè rogare velis, ſic munificus, vt neminem deſperare permittas. Indulge mihi peccata omnia ac vniuerſos errores, & tua gratuita bonitate, bone Ieſu, perduc me ad altam contemplationem deſiderabilem vbi iam errare non poſsim. Per quãta enim vitia corrui, tu ſcis, qui occultorum es cognitor. Quàm miſera & prona eſt mea fragilitas tu noſti. Quali hoſte inceſſanter affligar & premar, agnoſcis. Te Chriſte Deus bellator fortiſsime & triũphator ſemper victorioſiſsime quærit impar certamen, te expetit mortalis infirmitas, maieſtatis enim tuæ gloria eſt, ſi

*ſi leo rugiens ab infirma oue ſuperetur, ſi Spiritus violentiſsimus à debiliſsima carne vincatur, & ſi ſaltem illius dominationem permittente tuo iuſto Iudicio ad tempus patimur, nequaquàm illius inſatiabilibus faucibus ſorbeamur. Fac illum amator hominum triſtem de humana lætitia, qui de noſtra offenſione exultat.*


IN CRVCE QVI MVNDI
SOLVISTI CRIMINA CHRISTE
ORANDO MIHIMET TV
VVLNERA CVNCTA RESOLVE
Vera eſſigies Caroli
calui adhuc adoleſcentis
filij ludouici Cæsaris


IHS NAZAREN,
REX IVDEORV

# ORATIO AD ADORANDAM SANCTAM CRVCEM.

ADORO te Domine Ieſu aſcendentem in cruce.

Deprecor te vt ipſa crux liberet me de Angelo percuciente.

Adoro te vulneratum in cruce. Deprecor te vt ipſa vulnera ſint remedium animæ meæ.

Adoro te mortuum et ſepultum. Deprecor te vt ipſa mors ſit vita mea.

Adoro te deſcendentem ad inferos, & liberantem captiuos. Deprecor te vt non dimittas me ibidem introire.

Adoro te reſurgentem à mortuis & aſcendentem ad dextram Dei Patris. Deprecor te miſerere mei.

Adoro te Saluatorem, venturum & iudicaturum. Deprecor te vt in tuo ſan-

cto aduentu ne intres in iudicium cum me miſero peccatore: qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

# ANNAE DE SANCTA CRVCE.

SANCTVS Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis: miſerere nobis.

Antiph. Ecce lingnum crucis in quo ſalus mundi pependit.

Venite adoremus.

Antiph. Crucem tuam adoramus.

Antiph. Tuam crucem adoramus.

Antiph. Crux fidelis inter omnes.

## HORA PRIMA SIC ORABITIS.

Domine Deus qui ad principium huius diei me peruenire feciſti, tua me ſalua

*virtute, vt in hac die ad nullum declinē peccatum, ſed ſemper ad tuam iuſtitiam faciendam, mea procedant eloquia, per Dominum.*

## HORA SECVNDA SIC ORABITIS.

*Domine Deus omnipotens, qui me in hanc horam ſecundam per nocturnas caligines peruenire feciſti, conſerua me hodie per omnium horarum ſpacia et momenta temporis, & per tuam me ſemper fac miſericordiam permanere illæſum, per Dominum.*

## HORA TERTIA ITA ORABITIS.

*Domine Deus Ieſu Chriſte, qui hora tertia diei ad crucis pœnam pro mundi ſalute ductus fuiſti, te ſuppliciter deprecor, vt mea deleas peccata, & de præte-*

*ritis malis meis ſemper apud te veniam inuenire merear, et de futuris iugiter habeam cuſtodiam, qui cum Patre & Spiritu ſancto.*

## HORA SEXTA SIC ORABITIS.

*Domine Ieſu Chriſte, qui dum hora ſexta pro perditione mundi, crucis aſcendiſſes lignum, vniuerſus mundus in tenebras conuerſus eſt, illam mihi lucem in anima & corpore tribue, per quam ad æternam vitam peruenire merear, qui cum Patre.*

## HORA NONA SIC ORABITIS.

*Domine Deus Ieſu Chriſte, qui hora nona in crucis patibulo confitentem latronem intra mœnia paradiſi tranſire iuſſiſti, te ſuppliciter, cõfitens peccata mea, deprecor*

*deprecor vt poſt obitum meum me in paradiſi gaudia introire gaudenter concedas, qui cum Deo & Spiritu.*

## HORA VESPERTINA ITA ORABITIS.

*Gratias tibi ago Domine Deus omnipotens, qui me per huius diei curſum, in hanc horam veſpertinam peruenire tribuiſti, te ſupplex deprecor vt ad te eleuatio manuum mearum ſit in cõſpectu tuo, acceptabile ſacrificium veſpertinum, per Dominum.*

## HORA DVODECIMA ITA ORABITIS.

*Domine Deus, dominator omnium & protector, qui ſeparâſti lucem à tenebris, te ſubnixis precibus exoro, vt per hanc ſuperuenturæ noctis caliginem, tua me protegat dextera, vt in lucis auroram gaudens reſurgam, per Dominum.*

ORDO

## ORDO COMPLETORII.

*Cum ſopori deniq; ſancta membra dederitis, completorium ſicut in ordine cõtinetur, & benè noſtis, cantabitis, ſimul autẽ, Miſerere mei Deus. Deus miſereatur, &, Ecce nunc benedicite Dominum, ſimul cum oratione dominica & fidei ſymbolo, atque cum orationibus quæ ſubnexæ ſunt decantabitis.*

## ORATIO SANCTI AVGVSTINI IN NOCTE.

DEVS *Pater noſter, qui vt oremus hortaris, qui & hoc quod rogaris præſtas, ſiquidem cùm te rogamus, meliùs viuimus: Exaudi me palpitantem in his tenebris, & mihi dexteram porrige. Prætende mihi lumen tuum, reuoca me ab erroribus & te duce in me redeam & in te.*

*ORA-*

# ORATIO DIVI ALCHVINI IN NOCTE.

*QVI placido in pupi carpebat pectore ſomnum.*
*Exurgens ventis imperat & pelago.*
*Feſſa labore graui quamuis hîc membra quieſcant.*
*Ad ſe concedat, cor vigilare meum.*
*Agne Dei mundi, qui crimina cuncta tuliſti.*
*Conſerua requiem, mitis ab hoſte meam.*

# ORATIO BEATI GREGORII PRO OMNIBVS BONIS SIBI A DEO COLLATIS, & vt ipſe ſe accuſat neglectis.

PECCAVI *Domine, iniquè egi, impietatem feci, quoniam oblitus ſum mandatorum tuorum, & poſt cogitatio-*

*nes*

*nes cordis mei peſsimè ambulaui, nec dignè ingreſſus ſum vocatione, qua vocâſti me, per Euangelium Chriſti tui, nec cōpetenter ſanctas eius ſuſcepi paſsiones, nec pro merito humiliationem accepi, ſed factus ſum obprobrium delicto meo. Tu feciſti mecum Domine bonitatem tuam & miſericordiam, ſed ego iniquitatem.*

*Tu patiens & multæ miſericordiæ, ſed ego durus, & multis flagellis dignus. Cognoſco bonitatem tuam Domine, ſecūdum ea quæ peccaui, parùm adhuc caſtigatus ſum.*

*Parce Domine, parce Domine, propitiare Domine, ne tradas me in finē, propter iniquitates meas, ſed corripe me, veruntamen in miſericordia, & non in ira. Parce mihi Domine, parce ſeruo tuo, & miſericordiam, & clementiam tuam, ne auferas à me, ſed in præſenti et futuro ſe-*

*culo ſalua me, per Dominum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit et regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

# EVANGELIA HVIC PRECATIONVM LIBELLO ANNEXA.

## *Initium ſancti Euangelij, ſecundum Iohannem.*

### Cap. I.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factũ eſt: in

in ipſo vita erat. Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet & tenebræ eam nō comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Iohannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederēt per illum. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum nō receperunt. Quotquot autem re-

ceperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST: & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratia & veritate.

## IN CIRCVNCISIONE DOMINI.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Lucam.*

CAP. II.

IN illo tēpore: Poſtquàm conſum-

ſummati ſunt dies octo vt circũ-
cideretur puer: vocatum eſt no-
men eius Ieſus. Quod vocatum
eſt ab Angelo priuſquàm in v-
tero conciperetur.

# IN EPIPHANIA DOMINI.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Matthæum.*

CAP. II.

IN illo tempore: Cùm natus
eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ,
in diebus Herodis Regis: ecce
Magi ab oriente venerunt Hie-
roſolymam, dicentes. Vbi eſt
qui natus eſt Rex Iudeorũ? Vi-

dimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Audiens autē Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotū, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquàm minima es in Principibus Iuda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael. Tunc Herodes clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis.

eis. Et mittens illos in Bethlehē, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens, adorem eum. Qui cùm audîſſent Regem, abierunt. Et ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens, ſtaret ſuprà, vbi erat puer. Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valdè. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius: ET PROCIDENTES, ADORAVERVNT EVM. Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera: aurum, thus, & mirrham. Et

reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem: per aliam viã reuerſi ſunt in regionẽ ſuam.

## IN FESTO PVRIFICATIONIS BEATAE MARIAE.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Lucam.*

CAP. II.

IN illo tẽpore: Poſtquàm impleti ſũt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi: tulerunt Ieſum in Hieruſalem, vt ſiſterẽt eum Domino (ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Quia omne maſculinum ad aperiens vuluam, ſanctum Domino vocabi-

cabitur ) Et vt darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce, homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon: & homo iſte iuſtus & timoratus, expectans cõſolationē Iſrael: Et Spiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini. Et venit in ſpiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo: & ipſe accepit eum in vlnas

ſuas, & benedixit Deũ, & dixit: Nũc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum, in pace. Quia viderunt oculi mei, ſalutare tuum. Quod parâſti ante facem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

## IN RESVRRECTIONE DOMINI.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Marcum.*

CAP. XVI.

IN illo tempore: Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome

lome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Et valdè manè vnâ Sabbathorum veniunt ad monumentum, orto iã ſole, & dicebant adinuicẽ. Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes, viderunt reuolutum lapidem. Erat quippè magnus valdè. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida: & obſtupuerunt. Qui dixit illis: Nolite expaueſcere: Ieſum quæritis Nazarenũ crucifixum: ſurrexit, non eſt hîc. Ecce locus vbi poſuerunt eum. Sed ite, dicite

te diſcipulis eius, & Petro: quia præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis: ſicut dixit vobis.

## IN ASCENSIONE DOMINI.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Marcum.*

CAP. XVI.

IN illo tempore: Recumbentibus vndecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus: & exprobauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his, qui viderãt eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis, Euntes in mũdum vniuerſum, prædicate Euangelium

omni

omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit: ſaluus erit. Qui verò non crediderit: condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur In nomine meo dæmonia eiicient: Linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent. Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Ieſus, poſtquàm locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

IN

# IN DIE PENTECOSTES.

## *Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Iohannem.*

CAP. XIIII.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Et ſermonem quem audîſtis, nõ eſt meus: ſed eius qui miſit me, Patris. Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens. Paracletus autem, Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille

vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis. Pacẽ relinquo vobis, pacẽ meã do vobis. Nõ quomodo mũdus dat, ego do vobis. Nõ turbetur cor veſtrũ, neq; formidet. Audîſtis, quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtiq;, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis, priuſquàm fiat, vt cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiſcum. Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, &

ſicut

ſicut mādatum dedit mihi Pater, ſic facio.

## IN NATIVITATE SANCTI IOANNIS BABTISTAE.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Lucam.*

CAP. I.

IN illo tempore: Eliſabeth impletum eſt tempus pariēdi, & peperit filium. Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiā ſuam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum eſt: in die octauo venerunt circumcidere puerum,

puerum, & vocabant eum nomine patris ſui, Zachariam. Et reſpondens mater eius, dixit: Nequaquàm, ſed vocabitur Iohannes. Et dixerũt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. Et poſtulans pugillarem, ſcripſit. dicens: Iohannes eſt nomen eius. Et mirati ſunt vniuerſi. Apertum eſt autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur, benedicens Deum. Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper omnia montana Iudeæ diuulgabãtur omnia ver-

ba hæc. Et poſuerunt omnes qui audierant, in corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius, repletus eſt Spiritu ſancto, & prophetauit, dicẽs: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionẽ plebis ſuæ.

## IN FESTO SS. APOSTOLORVM, PETRI ET PAVLI.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Matthæum.*

CAP. XVI.

IN illo tempore: Venit Ieſus in partes Cęſareæ Philippi, & interro-

terrogabat diſcipulos ſuos, dicẽs: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? At illi dixerũt: Alij Iohannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis Ieſus: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpõdens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi nõ præualebunt ad-

uerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutũ & in cœlis.

# IN FESTO SANCTI LAVRENTII MARTYRIS.

## *Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Iohannem.*

### CAP. XII.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: ipſum ſolùm manet. Si autẽ mortuum

tuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animã ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuã in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrauerit, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cœlis.

## IN FESTO ASSVMPTIONIS SANCTAE MARIAE VIRGINIS.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Lucam.*

CAP. X.

IN illo tempore: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Et huic erat ſoror nomine Maria: quæ etiam ſedens secùs pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergò illi, vt me adiuuet. Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium: Maria optimam partem

partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

# QVATVOR EVANGELIORVM INITIA, ET ALIA TOTIVS ANNI PRAECIPVArum feſtiuitatum Euangelia.

## *Initium ſancti Euangelij, ſecundum Matthæum.*

CAP. I.

LIber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abrahã. Abraham genuit Iſaac: Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autẽ genuit Iudam & fratres eius: Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autẽ genuit

Eſron: Eſron autē genuit Aram. Arã autem genuit Aminadab: Aminadab autem genuit. Naaſſon: Naaſſon autē genuit Salmõ: Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autē genuit Obeth ex Ruth: Obeth autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid Regem: Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aſa: Aſa autem genuit Ioſaphat. Ioſaphat autē genuit Ioram: Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathan: Ioathan

than autē genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam: Ezechias autē genuit Manaſſem, Manaſſes autem genuit Amon: Amon autem genuit Ioſiam. Ioſias autem genuit Iechoniam & fratres eius in tranſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud: Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor: Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Elea-

zar: Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob: Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.

# IN DEDICATIONE SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Matthæum.*

CAP. XVIII.

IN illo tempore: Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis putas, maior eſt in regno cœlorum? Et aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis,

bis, niſi conuerſi fueritis, & effi-
ciamini ſicut paruuli, non intra-
bitis in regnum cœlorum. Qui-
cunq; ergò humiliauerit ſe, ſicut
paruulus iſte, hic maior eſt in re-
gno cœlorum. Et qui ſuſceperit
vnum paruulum talem in nomi-
ne meo, me ſuſcepit. Qui autem
ſcandalizauerit vnum de puſillis
iſtis, qui in me credunt, expedit
ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria
in collo eius, & demergatur in
profundum maris. Væ mundo à
ſcandalis. Neceſſe eſt enim vt ve-
niant ſcãdala: veruntamẽ væ ho-
mini illi per quem ſcãdalum ve-
nit. Si autem manus tua, vel pes
tuus

tuus ſcandalizat te : abſcinde eũ, & proiice abs te. Bonum eſt tibi ad vitam ingredi, debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habẽtem mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te: erue eum, & proiice abs te. Bonum eſt tibi cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis vnũ ex his puſillis : Dico enim vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt.

# IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

## *Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Matthæum.*

CAP. V.

IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem. Et cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnū cœlorum. Beati mites: quoniam ipſi poſsidebunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Bea-

ti miſericordes : quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde : quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici : quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam : quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, et dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me. Gaudete, & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

# IN FESTO SANCTI ANDREAE APOSTOLI.

## *Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Matthæum.*

### CAP. IIII.

IN illo tempore: Ambulãs Ieſus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonẽ qui vocatur Petrus, & Andreã fratrem eius, mittẽtes rete in mare (erãt enim piſcatores) et ait illis: Venite poſt me, et faciã vos fieri piſcatores hominũ. At illi cõtinuò relictis retibus, ſecuti ſunt eũ. Et ꝓcedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobũ Zebedei, et Ioãnẽ fratrẽ eius, in naui, cũ Zebedæo patre eorũ, reficien-

reficientes retia ſua: & vocauit eos. Illi autem, ſtatim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum.

# EVANGELIA COMMVNIA SANCTORVM.

## IN NATIVITATE ALICVIVS APOSTOLI.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Iohannem.*

CAP. XV.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Hoc eſt præceptũ meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vos amici

amici mei eſtis, ſi feceritis quę ego præcipio vobis. Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeru⁹ neſcit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quęcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me eligiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, et fructum afferatis, & fructus veſter maneat: vt quodcũq; petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

## IN NATIVITATE PLVRIMORVM MARTYRVM.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Lucam.*

CAP. XII.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Cùm audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri: Oportet enim primũ hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gẽtem, & regnum aduerſus regnum, & terræ motus magni erũt per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroresq́ de cœlo, & tempeſtates, et ſigna magna erunt. Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus ſuas, et perſequentur, tradentes in Synagogas, & cuſtodias, trahentes ad reges & præſides propter nomen meum. Continget autẽ vobis in teſtimonium.

Ponite ergò in cordibus veſtris, non premeditari, quemadmodũ reſpõdeatis. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & cõtradicere omnes aduerſarij veſtri. Trademini autem à parentibus, & fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, & capillus de capite veſtro non peribit. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.

## IN NATIVITATE VNIVS CONFESSORIS SEV SACERDOTIS.

## *Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Matthæum.*

Cap. XXIIII.

IN illo tẽpore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vigilate ergò, quia neſcitis horã qua Dominus veſter venturus ſit. Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtiq;, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideóq; & vos eſtote parati, quia neſcitis qua hora filius hominis veniet. Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille

le ſeruus, quem cùm venerit dominus eius inuenerit ſic facientẽ. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua cõſtituet eũ.

## IN NATIVITATE VNIVS MARTYRIS.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Matthæum.*

CAP. X.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nihil opertum eſt quod non reueletur, & occultum quod nõ ſciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. Et quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Et nolite timere eos qui occidũt corpus, animam

autem non poſſunt occidere: ſed potiùs eũ timete, qui poteſt animã & corpus perdere in gehennam. Noñe duo paſſeres aſſe veneunt? & vnus ex illis non cadet ſuper terrã ſine patre veſtro. Veſtri autem et capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergò timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos. Omnis ergò qui confitebitur me corã hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.

## IN NATIVITATE VIRGINVM.

*Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Matthæum.*

CAP. XXV.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ: Quinq; autẽ ex eis erãt fatuæ, & quinq; prudentes. Sed quinq; fatuæ, acceptis lãpadibus non ſumſerũt oleum ſecũ: Prudentes verò, acceperũt oleum in vaſis ſuis cũ lampadibus. Morã autem faciente ſponſo, dormitauerũt omnes & dormierunt. Media autẽ nocte clamor factus eſt: Ecce ſpõſus venit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes Virgines illæ, et ornauerunt lampades ſuas. Fatuæ autẽ ſapientibus dixerũt.

Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderũt prudentes dicentes: Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendẽtes, & emite vobis. Dum autem irẽt emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Nouiſſimè veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine domine aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos. Vigilate itaq;, quia neſcitis diem neq; horam.

# IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

## *Sequentia ſancti Euangelij, ſecundum Lucam.*

### Cap. XIX.

IN illo tempore: Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic erat Princeps publicanorum, & ipſe diues. Et quærebat videre Ieſum quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret illum, quia inde erat tranſiturus. Et cùm veniret ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad

eum: Zachæe feſtinans deſcēde, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Et cùm viderent, omnes murmurabant, dicētes: quod ad hominem peccatorem diuertiſſet. Stans autē Zachæus, dixit ad Ieſum: Ecce dimidium bonorū meorum Domine do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta eſt, eò quòd et ipſe filius ſit Abrahæ, venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.

CATA-

# CATALOGVS SACRARVM RELIQVIARVM, MONSTRANTIARVM, CAPSARVM, CALIcum, vaſorum, paramentorum, & id genus aliorum precioſorum clenodiorum, ex auro, argento, margaritis, & gemmis confectorum, quæ Tiguri ex Magno Monaſterio Canoniſſarum, anno Domini 833. à Ludouico Germaniæ, Bauariæ & Oſtrofrancorum Rege, Ludouici Pij Cæſaris filio, Imperatoris Caroli Magni nepote, Lotharij, & Caroli Calui Imperatorum fratre fundato, quod vulgò Groſſmünſter vocant, anno Domini 1528. die decima quarta Semptembris, & ſeptima Octobris ablata & diſtracta ſunt.

*Reliquiæ de ligno ſanctæ Crucis Domini noſtri, in puro auro ponderis 39. ſemunciarum incluſæ, & precioſis margaritis ornata.*

*Crux aurea ponderis 22. marcarum puri auri, lapidibus precioſis amicta.*

*Inſignis alia crux aurea, opere acupictorio eleganter præparata, margaritis & gēmis ornata, cum duobus angelis argenteis.*

*Tres aliæ cruces precioſæ, vna ex puro auro, altera cryſtal-*

*cryſtallina aureis laminis incluſa, tertia argentea.*

*Reliquiæ principaliores & precioſiores huius Eccleſiæ beatæ Mariæ Virginis Deiparæ in Sarcophago, ſiue capſa aurea ponderis 40. ſemiunciarum puri auri, lapidibus precioſis & aliis ornamentis miro artificio fabricata.*

*Imago aurea B. Mariæ Virginis Deiparæ, ponderis 60. librarum puri auri.*

*Reliquiæ ſancti Ioannis Euangeliſtæ monſtrantia aurea comprehenſæ.*

*Reliquiæ Sancti Martini in corpore quodam aureo.*

*Duo vaſcula argentea deaurata ſacris reliquiis referta.*

*Sancti Galli reliquiæ, aurea monſtrantia incluſæ.*

*Reliquiæ SS. Felicis, Regulæ, & Exuperantij martyrum, in capſa vitrea auro & margaritis precioſis ornata.*

*Quatuor imagines argenteæ pectore tenus. SS Felicis, Regulæ, Exuperantij, & Placidi, maximi precij.*

*In capſa quadam ex puro auro nonnullæ reliquiæ, & lagena SS Felicis, Regulæ, & Exuperantij martyrum.*

*Brachium argenteū cum ſacris reliquiis, et pede item argenteo ponderis 22. librarum puri argenti.*

*Reliquiæ Diui Caroli Magni Imperatoris in vaſe aureo incluſæ.*

*Eiuſdem Caroli Magni imago quædam artificioſè & egregiè depicta.*

*Libellus precationum ex pergameno, aureis literis cōſcriptus,*

*ſcriptus, auro, argenteo, margaritis, & lapidibus precioſis, cum imaginibus eburneis ligatus & ornatus, cuius principium eſt: Incipit liber orationum, quem Carolus piiſsimus Rex Hludouici Caſaris filius Omonimus, colligere, atq; ſibi manualem ſcribere iuſsit.*

*Crux quædam ſancti Florij laminis argenteis amicta & incluſa.*

*Diuerſæ reliquiæ ſacræ in monſtrantia quadam argentea deaurata, ponderis 36. marcarum puri argenti.*

*Alia monſtrantia parua ex auro, argento, & cryſtallo confecta.*

*Quatuor aliæ paruæ monſtrantiæ argenteæ.*

*Monſtrantia ærea, ſeu cuprea, auro eleganter picta & ornata.*

*Tabula quædam argentea in ſummo altari, literis, ſeu ſcripturis quibuſdam pulchrè ornata, ponderis 40. librarum puri argenti.*

*Capſa inſignis cum ſacris reliquiis, lapidibus precioſis, & margaritis egregiè exculta.*

*Decem calices argentei deaurati, cum quatuor corporalibus.*

*Triginta calices alij pro vſu Sacellanorum.*

*Sex vrceoli argentei.*

*Duo plenaria, hoc eſt, libri Euangelicorum, vnus ex argento, alter verò ex auro, margaritis & ebore conferti.*

*Inſigne argenteum & deauratum thuribulum.*

*Aliud elegans argenteum thuribulum.*

*Quatuor*

*Quatuor candelabra argentea.*

*Decem lampades argenteæ.*

*Mitra ſeu Infula Pontificialis, margaritis, & lapidibus precioſis ſplendidè ornata.*

*Pluuiale holoſericum albi coloris deauratum, quinq; imaginibus ornatum, inter quas & effigies Caroli Magni exiſtit.*

*Aliud Pluuiale acupictorio opere ornatum, cum duodecim Apoſtolis, & tredecim ſignis argenteis.*

*Duo alia pluuialia viridis coloris deaurata.*

*Duo pluuialia albi coloris, acupictorum opera elegāter præparata.*

*Sex alia pluuialia diuerſorum colorum.*

*Ornatus totus aureus, hoc eſt, caſula cum duabus dalmaticis magni valoris.*

*Alius ornatus auro amictus, & argenteis ornamentis diſtinctus, cum tribus dalmaticis.*

*Sericus albi coloris ornatus, totus deargentatus, cum pluuiali, & duabus dalmaticis, quem ornatum Illuſtriſſ. Cardinalis Sittenn. huic Eccleſiæ obtulit.*

*Quatuor caſulæ albi coloris, cum dalmaticis, & aliis ad id pertinentibus.*

*Tres caſulæ; vna holoſerica, altera damaſcena, tertia ſerica, cum crucibus acupictorum opera pulchra præparatæ.*

*Rubea holoſerica caſula, et duæ dalmaticæ, auro amictæ & ornatæ.*

*Aliæ duæ rubeæ caſulæ; quarum vna auro & argento contexta, altera verò imaginibus decorata eſt, vnà cum duabus dalmaticis.*

*Viridis*

*Viridis coloris caſula holoſerica, auro & argento ornata, cum duabus dalmaticis, quibus capita ceruina affabrè confecta ſunt affixa.*

*Caſula alia viridis coloris cum cruce aurea, & floſculis aureis depicta & ornata.*

*Violacei coloris caſula holoſerica cum duabus dalmaticis.*

*Punicei coloris ornatus totus holocericus, hoc eſt, caſula cum dalmaticis, humerabilibus, & aliis ad id pertinentibus.*

*Nigri coloris ornatus deauratus cū cruce perpulchra.*

*Triginta tres aliæ diuerſorum colorum caſulæ.*

*Triginta octo albæ.*

*Baldachinum, ſiue Vmbella damaſcena crocei coloris, cum ſtellis aureis.*

*Antipendium aureum pro ſepulchro ſancti Placidi.*

*Tria alia antipendia ex ſerico perpulchra, pro ſepulchris SS. Martyrū, Felicis, Regulæ, & Exuperantij.*

*Antipendium ſericum nigri coloris.*

*Duodecim alia ſerica antipendia.*

*Viginti tria antipendia diuerſorum colorum, partim holoſerica, & partim ſerica.*

*Duo alia antipendia ſubſerica.*

*Quatuor mappæ holoſericæ.*

*Quatuor tapetia turcica.*

*Et plurima alia diuerſorum colorum paramenta, mappæ, & ornatus, atque id genus ſimilia.*

FINIS.

Cum facultate Superiorum.

12.

J. Chappé. Dess. Cenoman. 1898.

SPECIAL 87-B
15925